



LEONHARTI
FUCHSIIDE
HIPPOCRATIS
DE
MEDICAMENTIS
1539










The Earl of Westmoreland
1856

autograph of
W Bullein on title



LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDI METHODO LIBRI QVATVOR.

29458

HIPPOCRATIS COI DE MEDICAMENTIS PVRGANTIBVS LIBELLVS IAM RECENS IN LVCEM EDITVS.



PARISIIS
PER CONRADVM NEOBARIVM.
M.D.XXXIX.

Cum priuilegio in biennium.

tomas gordon

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO ALBERTO MARCHIONI BRANDENBVRgensi, stetinæ, Pomeraniæ, cassuborũ, & sclauorũ Duci, Burggrauio Norimbergensi, ac Rugiæ principi, domino suo clementiss. Leonhartus Fuchsius, S. P. D.

ANNO ABHINC VNO Illustrißime princeps, id ipsum à me studiosis quibusdam efflagitantibus, medendi quandam rationem perbreuem admodum conscripsi: non in hoc sanè, vt Galeni quos ea de re posteritati reliquit optimos ac absolutißimos, aliorúmque Gręcorum commentarios medicinę initiatis de manibus excuterem: siquidem hoc instituto quid absurdius ineptiúsque aut dici aut excogitari posset? sed vt iis qui prolixitate ac difficultate operũ Galeni reliquorúmq; Grę corum deterrẽtur, & hoc nomine ad Arabes atque ineptißimam barbarorũ medicorum turbam deficiunt, consulerem, ac quasi viam ad Galeni, qui cæteros omnes superauit, scripta facilius assequenda struerem. Nihil enim

scribẽdi methodum hãc occasio.

æque optamus, atque vt iis nostris commentariolis adiuti melioris medicinæ studiosi, gradū faciant ad ea cognoscēda, quę plenius de curandi ratione Galenus tradidit. Perspectum nāque habemus, quàm pauci admodū sint hodie medicinam exercentes, qui ex Galeni, optimi sanè authoris, præscripto curādi indicationes scrutentur, quū vnusquisque ferè sibi peculiarem quē in medendo sequatur autorem, cúmque nō raro pessimum, proponat: húncque sic mordicus teneat, vt ne latum quidem vnguem ab illius decretis discedat. Qua quidem ratione fit, vt quāplurima quotidie errata inter medendum admittant, qui syncero iudicio destituti temere quosuis sectātur: quæ facilè declinarēt, si ex Galeni magis quàm eius farinæ indoctorum hominū sententia & consilio ægrotis mederi vellent. Proinde vt tandē ab errore suo ac temerario instituto deducerentur, atque adeò ad frugē bonam redirent, neque haberēt quod subinde desidiæ suæ & ignorantiæ prætenderent, hanc medendi rationē ex Galeni, & hūc magna ex parte sequentiū Aëtii & Pauli monumentis cōflatam, edere voluimus. Speramus enim illam his qui ad veterū medendi rationem propius accessuri sunt, adiumento, & vt Græci dicūt πρὸ ὁδοῦ, futuram esse. Nam vt hanc penitus attingant, vtcunque etiā annitātur, hoc præsertim tēpore, fieri minimè po

test. Quum enim veterum curandi ratio duabus potissimum rebus constet, nempe Pręceptis, quæ vnde curandi indicationes petendę sint, monstrant: ac morbos pellētibus medicamentis, eam quidem quæ indicationes docet, hac etiam tempestate perfectissimè consequi licebit: alteram verò, que medicamēta inquirit, nequaquam. Multa enim cũ simplicia tũ composita, quibus illi in profligandis morbis vsi, esse constat, quę omniũ quotquot hodie viuũt, cognitionem subterfugiunt, atque adeò in vsum reuocari haud possunt: ita vt necessitate quadam compellamur, loco illorũ nostratib⁹ & vsitatis, iis maximè quorũ & formę & facultates nobis cognitę sunt, vti. Quod sanè mecũ ipse reputans, veterũ medendi rationi semper eã etiã quæ hodie vsitata est, quoad eius fieri cõmodè potuit, in iis meis de curãdi ratione cõmẽtariis cõiunxi. Qui enim has temerè separãt, haud dubiè omnia perturbãt, ac cœlũ terrę miscent. Quod itaq; ad curandi indicationes attinet, veteres & Gręcos planè imitatus sum, quòd illi eas p̄ cęteris omnib⁹ rectissimè tradiderin. Quare uemo miretur, ꝙ ab Arabũ ac recentiorũ practicorũ, vt vocant, placitis multis in locis discesserimus. iudicio enim idipsum, nõ errore factũ Nã cũ hoc planè nostrũ sit cõsiliũ, vt rerũ medicarũ studiosos à barbaris & ineptis autoribus ad optimos, atq; adeò eos qui pri

Veterùm medendi rationem hoc tempore exerceri prorsus non posse.

stinā medēdi rationem syncerissimē docēt, reuocem⁹, studio ac data opera eas quas illi præscribunt curandi indicationes, vtpote erroneas, & à veritate prorsus abhorrentes con tempsimus. Pleraq; etiā ex Galeni & reliquo rum Græcorum sententia, quæ nemo ferè no strorum medicorū vsurpare audet, etsi cum magna laude & ægrotantiū salute illis veteres vsi sint, inserere studuimus, vt hac ratione nostros etiam, quo iisdem confidentius vterentur, inuitarē. Nam cùm tantoperè ab iis quibus veteres feliciter vsi sunt, abhorrēt, fit vt īitereà paucos, imò propè nullos, magnos morbos curent. parum certe memores illius Hippocratici, summis morbis summa exqui sitè remedia optima esse. Neq; interim etiā animaduertunt, quàm malè passim ob illas suas blanditias ac assentationes audiāt: quòd scilicet mācipiorum ritu, vt Galenus inquit, contra planè quàm veteres illi medici ab Aesculapio oriundi, qui tanquam duces militibus, & reges subditis imperare ægris voluerunt, ęgrotis parcant & obsequantur. Verùm metum hunc haud dubiè inscitia, qua prędi ti sunt, incutit. neq; enim illis expostulantibus actorum suorum rationē reddere valēt: tam sunt prosus omniū eorum quæ tradunt Galen⁹ & veteres medici Gręci, ignari: adeóque malunt cum multis temerè errare, quàm veterū probè excogitatis remediis vti. Cæ

2.Aph.6

Medicorū nostri seculi blāditiæ notantur.

terùm quod ad alterã partem, quæ medicamenta docet, ſpectare videtur, ea tantũ in iis de Medẽdi ratione libris produximus, quorum hodie eſt in officinis frequens vſus, & quibus nos ſæpe, idq; non ſine magno ęgrorum cõmodo, vſi ſumus. Quapropter vſitata & cognita officinis vocabula, parum tamen latina interdum admiſcere coacti ſumus, ne ſi latinis perpetuò vteremur, ab iis non intelligeremur. vnicè tamẽ cauimus exotica, preciosa, & paratu difficilia medicamẽta: quod plurima illorum, eò quòd neq; illis qui vendũt, neq; etiã iis qui emũt, ſatis cognita ſint, adulterina eſſe verẽdum ſit. Mercatores etiã in iis extrudendis (tanta eſt illorum inſatiabilis auaritia) maximè ſtudent, vt primũ deteriora vendant. quod dum faciunt, intereà etiam quę bona ſunt, diutiùs retenta, carie ac vermibus exeſa, deteriora euadũt. Pharmacopolæ autem penè omnes, nõ minus quàm illi, quæſtui inhiantes, ac pecuniam parcè & reſtrictè erogantes, non niſi peſſima emunt. Et quum etiam in hoc genere reperiantur viri aliquot boni, tamen quia magna ex parte indocti ſunt, & meliora ignorát, vſitata duntaxat, quæ vt plurimum adulterina ſunt, ad conficienda medicamenta ſua comparant. Quapropter ſtolidorum & indoctorum medicorum cõſilium probare non poſſum, qui in exercẽda medendi ratione nullis ferè me-

Pharmacopolæ notantur

Medicorum quorundam

huius ętatis stolidi tas.

dicamentis, nisi ea quæ illorum compositionē constituunt à quatuor orbis partibus petita sint, vtũtur. Neq; enim intelligunt, quàm periculosum sit ea vsurpare medicaměta, quę nec ipsi, nec qui eadē vendunt ac præparant Seplasiarii satis perspecta habeant. Quòd verò illis vtantur, non fit alia ratione, nisi quòd eos autores à quibus in medendo toti pédét vsos esse vident: non magnoperè laborantes qualia sint, aut vnde allata. Qui igitur sapiũt, nostratibus, & paratu facilibus, cognitísque potius quàm peregrinis, paratu difficilibus, & incognitis vtentur: quod eorundem, quem in abigédis morbis obtinent, effectus, vt plerunque est exoticorum, dubius esse non possit. Quod nõ eò dico, quasi peregrina & aliũde ad nos delata medicamenta in vniuersum omnia ex officinis exterminãda puté: in quo sanè errore malesanos quosdam nostri seculi medicellos versari compertũ habeo: cũ multa sint eiusmodi, quibus etiam si nostratia sin gula perspecta haberem⁹, carere sine magno ægrorũ incommodo non liceret. qualia sunt aloë, casia fistularis, myrobalani, scãmonia, & id genus non pauca. Sed eorum duntaxat damnamus studium, qui cõtemptis nostratibus propè omnibus, ea tantum vsurpant, quę planè exotica sunt, & neq; ipsis, neq; aliis cognita. Memini enim me aliquot nostri téporis medicorũ, qui in magno habebant precio

vidisse cōpōsitiones ex eiusmodi medicamē tis cōcinnatas, quorū nuda solummodo extarent nomina, atq; adeò quę nec ipsi, nec Seplasiarii nouissent, aut vnquā vidissent. Nec cur id facerent potui satis diuinare: nisi fortè ambitione ducti, cæteris quòd peregrina & nemini nota proferrent, doctiores videri voluerint: aut hac ratione cauere, ne suis alii quoq; in medendis ægris vterētur. Quid multa? exoticis ac preciosis parcè admodū vtendum esse, neque tamen omnibus, sed iis duntaxat quæ nobis iā multo vsu & experientia cōprobata sunt, iudicamus. Atqui cōstat plerosque esse, qui vtcunque etiā sæpiúsq; moniti, in viam redire nolint: quos certè non magnoperè curamus. Neque enim illis hāc methodum exarauimus, sed iis potius qui cādido animo ad veterē medēdi rationē aspirāt. Dignū siquidem est, vt qui veritatis lucē intueri dedignantur, in perpetua errorum caligine detineātur. Tibi vero colēdissime princeps, duas potissimū ob causas hos meos de medēdi ratione libros dedicare cōstitui. Primū, quòd illis ex nominis tui auspicio & claritate nonnihil autoritatis & gratię accedere posse sperē. Quis enim est qui nesciat, quàm celebris, quámq; nobilis sit Marchionū Brādenburgensium apud omnes nationes familia? neq; id sanè alio nomine, quàm ob multas, easque egregias virtutes, & res domi mi-

Dedicatiōis causæ.

Marchionū Brandenburg. nobilis familia.

litiæque prudenter & feliciter gestas. Nam vt reliquis præteritis à proauo tuo, à quo tibi nomen inditum est, exordiar, quis vnquam Principum illo prudentior, & ad res bene gerendas aptior ac fœlicior? quis denique facundior? quis constantior? quis bellicosior? Hincque adeò factum est, vt a Pio secundo Pontifice Romano, viro eximio ac doctissimo, mirificè laudatus sit, atque Teutonicus Achilles dici meruerit. Sed missas facio alias multas & insignes illius optimi Principis virtutes: quas si singulas commemorare vellem, vereor vt epistola capere possit. Ad auũ itaque tuum olim clemētissimum Principem venio, quem etiam ob singularem belli peritiam, aliásque multas cum corporis tum animi dotes Maximiliano, prudentissimo ac optimo cæsari, constat fuisse charissimum, adeò vt illius ductu bella quàmplurima non solum in Germania, verum etiam Italia fœliciter gesserit. Nec à suis maioribus degenerauit parēs tuus charissimus, Cassimirus, Princeps propter singularem prudentiam, animi moderationem, rerum denique bellicarum mirificam peritiam, diutinumque vsum longiori vita dignus. Hoc enim superstite, vix vnquam Turca immanissimus Christiani nominis hostis Vngariam sic totam inuasisset atque occupasset. Neque enim dubitasset se (tanta erat illius magnanimitas, & rebus etiã

Albertus Marchio Elector.

Fridericus Marchio.

Marchio Cassimirus.

penè desperatis constantia) viribus eius quãtum vis magnis ac potentissimis Cæsarum adiutus auxiliis, opponere. verùm è medio sustulit deus Opt. Max. tantum Heroa, quo Turcæ ministerio nostra delicta grauiùs puniret. Quid hic de patruo c. T. duce Borussiæ referã: verùm de hoc præstat nihil quàm pauca dicere. Tantæ enim illius Principis sunt virtutes, vt absolutum aliquod optimi principis exemplar, quod tu in primis, alíque omnes principes sequi deberent, dici queat. Quũ itaque is sit vestræ familiæ splendor, quî fieret vt patrocinio tuo freti ii nostri labores, non aliquam apud studiosos inirent gratiam? Dein has meas vigilias c. T. nũcupare volui, vt aliqua saltem ratione animum, studium & voluntatem erga te meam declararẽ. Nam etsi, vt olim tibi assistere quotidie, exclusus locorum interuallis, haud possim, tamen non minor est quàm cum pręsens essem amor erga te meus. Neque enim non possum te summè diligere, si virtutes quas in te sitas esse perspectum habeo, męcum expẽdo. Siquidem vt ameris ab omnibus, facit imprimis immensa illa humanitas, quæ in te puero adhuc elucebat, & quam quisque ipso etiam statim conspectu, nedum congressu animaduertebat. Nulla enim res est quæ sibi non solum subditorum, imò aliorum etiam omnium animos ac beneuolẽtiam sic

Albertus Marchio dux Borussiæ.

Humanitas.

conciliat, ac ipsa humanitas, lenitas, & mansuetudo. Quapropter in principe vnice detestanda est inhumanitas, vt quæ efficiat, vt à cyclope illo Homerico non multum absit, & confestim inuidiam comitem habeat. Humanitatis nanque opinione amissa, pro monstro planè ac portento habetur: vtcunque auro, gemmis, & serico ornatus incedat. Sed præstat nunc alias tuas virtutes prosequi, quã do omnibus constet, Marchiones Brandenburgenses comitate reliquos omnes Germaniæ principes superare. Inter plurimas verò alias primum occurrit nobis immensa tua & in Deum & in homines pietas, quam olim dum viueret Christophorus Pistorius, vir ob præcipuam eruditionem perpetua memoria dignus, animo tuo magno studio instillauit. Quæ vna sanè certissima testis est, animum tuum à crudelitate & tyrannide alienissimũ esse, ad ignoscendum vero promptissimum. Huic accedit, quòd æquitatis sis amantissimus, neque vt multi hodie solent principes, minus in delicta potẽtum ac diuitum quàm infimorum ac pauperum esse animadaertendum putes. Neque omittendum hoc quòd animum tuum, non contentus generis maxima nobilitate, humanioribus etiam literis excolere volueris: in quibus eousque prouectus es, vt subinde ad historias, quæ te indies magis atque magis oblectabunt, atq; simul


Christophorus Pistorius

instruent, per otium respicere queas. Neq; du bito quin in studiis maiores progressus facere voluisses, nisi breui admodū tēpore binos tibi præceptores fata ipsa surripuissent, vtcūq; vero impedit⁹ studiorū tuorū cursum prout institueras absoluere haud potueris, nihilominus tamen doctos maximo fauore prosequeris, eosq; vnice colis: ductus haud dubiè quorundā sapiētissimorum principū exemplo, quos vides doctrinę amore & conseruatione illustrius nomē quám finium ditionísque imperii propagatione sibi peperisse. Verùm vt tandem laudādi finem faciam, mitto multas alias tuas excellentes virtutes, ne illas adulandi, magis, quàm reliquos ad easdē excitandi studio commemorasse videar: atque hoc vnum moneo, vt pergas subinde còstanter amare doctos, tueríq; aduersus sycophantas studia ipsa: nec vnquam ab hoc laudatissimo instituto pestes illas aulicas, immēso in omnes doctos odio flagrantes, te auocare sinas: nec cōmittas vnquam, vt sirenibus istis, vtcūq; suauiter canētibus, aures accōmodes: sed doctorū & prudentiū potius vsus cōsilio, imperii tui habenas guberna. sic enim nō solū stabilietur tuū imperiū, verūetiā apud posteros omni prors⁹ inuidia carebis, ac celebri fama vere illustris euades. Accipe igitur, illustriss. princeps, solitâ clemētiâ nostras has vi-

gilias, atque ex iis salubria præcepta ad profligãdos morbos excerpe, quo salubriter viuere queas. Dignissimus etenim es nô modò prospera, sed constanti & etiam perpetua bona valetudine, vt amplissimæ tuæ ditioni diutissimè pręesse, ac Christianæ reipublicæ prodesse queas.

Vale.

Tubingæ, XII. Calend. Iulii. Anno M.D.XXXIX.



LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS SINGVLARVM corporis partium à ſummo capite ad imos vſque pedes paſsionibus, Lib. I.

DE ALOPECIA ET ophiaſi. CAP. I.

A ΛΩΠΕΚΙΑ paſſio eſt, quæ Latinis Alopecia dicitur. Fit vbi in capite areas deciduus capillus efficit. Sic appellatam hanc paſsionem ferunt, quòd vulpibus frequenter accidat. Siquidē ἀλώπηξ Græcis vulpes eſt. ὀφίασις nomen latinum non obtinuit: paſſio eſt, quæ capitis partem læſam ſerpentis modo, quæ Græcis ὄφις eſt, glabram oſtendit. Arabes & Barbari medici primum paſsionis genus voce parum deprauata Alopiciam, alteram vero Tyriam vocant: qua voce omnes ſerpentes, potiſſimum autem viperas, intelligunt. Vtrunque genus propter vitiatos humores contingit. Quemadmodum enim plantæ aliquæ ob humoris alieni ab ipſarum natura attractionem: ſic etiam capilli propter humorum, ex quibus nutriri conſueuerunt, prauitatem corrūpuntur. Quales autem ſint vitiati humores, ex colore cutis capitis dignoſces. Aliquibus enim mutata albidior apparet, aliquibus ni-

Cauſæ.

Dignoſcendorū ſuccorū notæ.

grior, aut pallidior. Candida pituitam, atra melancholiam, pallida bilem flauam significat. At vitiosi humoris speciẽ certius agnoscendam, non leue etiam adiumentum præcedens victus ratio cõferet: præsertim intelligenti, quinam ciborum pituitæ, quinã atrę bilis, & flauę succũ colligant. In primis itaq; totius corporis purgationẽ adhibere oportet, aut pharmaco pituitam ducente exhibito, aut quod bilem flauã aut nigram trahit, coniectura redundãtis humoris, vt diximus, ex colore cutis facta. Nã si is albidior, quàm pro naturæ habitu sit, pituitosi humoris purgationẽ exhibebis: sin pallidior, eiusmodi bilis purgationem: nõ secus atque si nigrior conspicitur, quæ nigram detrahent bilẽ, offeres. Pituitosos humores Hiera ex colocynthide purgare consueuit, quam describit Paulus lib. 7. cap. 8. sub nomine Hierę Archigenis. Hiera etiam simplex, quæ lib. 7. Ther. meth. & lib. 2. de Compo. medi. secundũ locos cap. 1. à Galeno describitur, mirifice confert: aliquando elleboro nigro adiecto, vbi atræ bilis humorem expurgare volueris: aliquando scammonia, si flaua bilis purganda erit. Quin & ex aloe catapotia commodè sic patientes purgare solẽt. Habent autem hæc, colocynthidis partem vnam, aloes & scãmoniæ vtriusq; partes duas, cum succi absinthii parte vna: cõficiantur ex drachma vna cata-

Curatio.

Purgatio

Catapotia ex aloe.

potia vndecim,& deuorãda prębeãtur. Vsus hodiernis dieb9 Hierę picræ triplex est. primus, sub specie pulueris in vino aut iure gallinaceo, aut alio conuenienti liquore assumpti. datur ex pharmaco hoc drachma vna. Alter sub forma catapotiorũ, qui tritissimus esse solet. Tertius sub eclegmatis specie, quod etiã in officinis præparatũ habetur. Cæterũ post totius corporis purgationem apophlegmatismis, masticatoria hodie vocãt, pituitam è capite detrahere præstat. Hæc autẽ ex sinapi, hyssopo, staphysagria, pipere, origano, pyrethri radice, cubebis, & similibus cõficiuntur, in hũc vel similẽ modũ. ℞ Piperis longi, nucis myristicę, muscatã appellant, anã ℥ s. se. staphysagriæ, pyrethri anã ℈ ii. sinapi, origani, anã ℈ i. trita in puluerem cum melle aut cum cera quantũ satis est, in formam lupinorũ redigantur: quarum vna ad horę ferè vnius medietatem commanducetur. Possunt etiã pręd ícta contusa in sacculũ ex subtili pãno confectum reponi, & deinceps cõmanducari. Post hęc ad localia medicamenta accedendũ erit, quæ discutiendi, attenuandíq; vires habeãt, inter quæ calidissimũ est euphorbiũ. Eo autẽ minus calidũ thapsia, post thapsiã verò sinapi & nasturtiũ. Post hæc succedunt sulphur, nitrum, vterque elleborus, erucę semẽ, oleũq; laurinũ. Quin & pix liquida muriũ stercus, anserinus adeps, sed magis vx-

Apophlegmatismi.

Localia.

ſę, amygdalæ amaræ totæ vſtę, herinacei terrestris cutis, & thus aceto acerrimo ſubactũ.
Ante iam commemoratorũ medicamentorũ vſum capillos nouacula tollere oportet: deinde patientem cuté per linteolum neque aſperum neq; molle nimis, confricare, ac videre ad quantũ ruborem per huiuſmodi frictioné peruenit. Si enim per modicá frictionem ſtatim rubefiat, morbum ſanatu facilẽ iudicabis. Si vero vix poſt longam atq; multam frictioné rubeſcat, difficilẽ tũ paſsioné, tum curationem ominaberis. Porrò ad hũc qui ſequitur modum medicamenta compones.

capilli radendi.

Linimentum.

℞ Seminis erucæ, naſturtii, nitri, aã ℥ i. s. thuris in aceto acri & forti macerati, ℥ i. ſulphuris viui ℥ i. adipis anſerini vrſini aã ℥ i. olei laurini ℥ iii. miſce, fiat linimentũ, quod illinatur aſsiduè. Aliud paulo validius. ℞ Euphorbii, thapſiæ, aã ℥ i. ellebori vtriuſque aã ℥ s. naſturtii, erucæ, amygdalarum amarum cum corticibus vſtarum aã ℈ i. ſinapi ℈ s. olei nardini & laurini aã ℥ ii. cerę quantũ ſatis eſt. formetur vnguentum, quo caput aſſiduè illinatur. Sunt autem hæc prę ſidia ſub calido aëre flatu carẽte, & in ſole adhibẽda. Si vero hyems fuerit, neceſſe erit vt in hypocauſto, aut balneo adhibeãtur. Prę omnibus verò animaduertere oportet, ne in fortium medicamẽtorũ admotione cutis vltrà quàm conuenit cócaleſcat: id quod tum ex colore

vnguentum.

Quo in loco applicanda

ipſius,tum digitorum tactu deprehẽdes. Color nanque rufus magis apparebit, & digitorum contactu ſatis calidam cognoſces. Horũ itaque animaduerſionẽ habere oportet. periculum enim, iterum atque iterũ repetito eorum vſu, cutẽ exuri. Quare ad molliora trãſeundum eſt. Plura autem paratu facilia medicamenta habet Galenus lib. 1. de Compo. medica. ſecundum locos cap. 1. Cæterum cum morbus ex vitiatis humoribus procreatus ſit, neceſſe erit vt tota vict' ratio ſit ex cibis & potu boni ſucci. De quibus Galenus in peculiari de iis libello conſcripto conſulendus erit. De aliis paſsionibus capillorum & cutis capitis abunde ſcribit Galenus lib. 1. de Compo. med. ſecundum locos: quas nos hic cõſultò prætermiſimus, quãdo raro admodũ in his curãdis medicorum opera requiratur.

DE DOLORE CAPITIS. CAP. II.

Cephalalgia Latinè dolorem capitis ſonat, & eum potiſsimum, qui non inueteratus eſt, non curando an per ſe accidat, aut alterius affectus ſymptoma ſit. Barbari medici Sodam nominant. Huius autem duæ potiſsimum cauſæ ſunt. Nunc enim ex ſola intemperie ſimplici citra humorũ cõplexum: nunc verò ex humorum copia accidit. Vehementiſsimi autẽ capitis dolores fiunt, ob caliditatem & frigiditatem: moderati, ob ſiccitatem. Humiditas ſui ipſius reſpectu nullum

Κεφαλαλγία.

Cauſæ.

Notæ.

plane dolorem inducit, nisi calori, aut frigori, aut humorum copiæ adiuncta sit. Simili modo humoribus vel in toto capite, vel in aliqua tantum parte redundantibus calidis quidem ac frigidis vehementior, siccis verò moderatior dolor inuadit, si tamen siccitas absque manifesta caliditate fuerit. Humidi autē, quantū in ipsorum ratione est, nullum prorsus dolorem afferunt, multitudine tantum grauantes, si citra obstructionem sint. Cum obstructione enim moderata, moderatè dolorifici: cum forti, vehementer dolorosi sunt. Vt autē ordine omnia tractentur, & rectius assequātur, propria iuxta singulos affect⁹ capitis dolores procreātes auxilia describemus, initium à calida intemperie sumētes.

DE DOLORE CAPITIS EX CALORE. CAP. III.

Per calorem hic intelligimus, intemperiem calidam nudæ qualitatis. Hæc autē potissimum generatur ex solis ardore. omnes enim homines in sole æstiuo diutius versantes, capite incalescunt. Ex motu immodico, balneis, flammæ vicinitate, ira, furore, calidis affectibus, odoramentis, cibo calido & acri, cepis videlicet, alliis & porris. Qui ex ardore caput dolēt, eorum cutis tactu calida est, & primo statim manus iniecta aridior apparet, oculi rubent, frigidis tum perfusionibus tum inunctionibus gaudēt & iuuantur.

Cāusæ.

Signa.

Euitādus aër calidus, nullum per flatū recipiens, & calidis vaporibus refertus. Deligēdus contrà is, qui natura frigidus, aut qui nostra arte sic præparatus sit ex floribus ac germinibus frigida facultate præditis, per areā proiectis, & humi fusis, rosis nimirū, violis, nymphęa, quā Nenuphar hodie nominant, vitiū capreolis, ruborū ramis, & similibus. Aqua etiā frigida de vasis in vasa trāsfusa, aërē refrigerare valet. Cibi sint natura frigidi, lactuca, portulaca, ptisana hordei, aut alica eiusdem, oua sorbilia, panis ex aqua, pulli columbarū cū omphacio (agrestā vocāt) cocti. Pisces petrosi, & lac amygdalarū cum furfurib. decoctū. Potu verò aqua vtendū est, nisi quibusdā vētriculus propter aquæ potū subuertatur: tū enim præstat vti vino aquoso, & bene diluto, aut aqua in qua cinnamonū decoctū est, cui ītybi domestici (endiuiā appellant) sirupus, & acetosus simplex, aut oxysacchara admixta sit. Cæterū somni ac quietis cura in primis habenda est. coitū euitet: alui excremēta ac lotiū nō retineat, sed ab iis sese suo tēpore exoneret. Exercitationes, frictiones, balneáq; fugiat. Irā, furorē, aliásq; animi perturbationes corp⁹ excalfaciētes, prorsus nō admittat. Vitādus igitur clamor, cōtētio, omnísq; mētis perturbatio & perculsio. In bona autē animi habitatione & firmitate degēdū. Dolorē autē capitis è caliditate cu-

Victus. Aer. Cibus. Potus. Somnus. Excremētorū expurgatio. Exercitia. Animi affectus. Curatio.

rant, ea quæ refrigerãdi facultatem citra manifestam adstrictioné obtinét. Optima verò censenda, quæ tenuium partium substantiâ prædita sunt. Quapropter in principio quidé nihil pręstantius, quàm oleo rosaceo probè apparato caput perfundere. Proximum à rosaceo chamęmelinũ locũ habet, in iis corporibus, quibus vehementem frigiditaté inducere veremur: qualia sunt fœminarum & eunuchorum ac puerorum, & quicunq; carne molli præditi, albúmque habentes colorem. Sed si vehementer infrigidari oporteat, semperuiui succum, aut lactucæ, aut psyllii, aut polygoni (corrigiolam appellant) adiicere conuenit. Quin & solani aliquando succum, & pampinorum, & vuarum immaturarum adiicere licebit. Vsus autem hodie sicut olim etiã obtinuit, vt prædictis medicamentis parum aceti, vt nimirum maiorem & penitius penetrantem vim induat medicamentum, admisceatur in hunc modũ. ℞ olei rosacei ℥ ii. aquæ rosaceæ ℥ 1 s. aceti ℥ s. misce. Aliud. Aquarũ semperuiui, lactucę, solani añ ℥ ii. aquę chamæmeli ℥ 1 s. aceti ℥ 1. misce. In iis medicamétis lintheolũ tingito, iuxtáque fronté, vbi pilosa eius pars desinit, & iuxta tépora imponito. Occiput hoc medicaměto tãgi haud debet. neq; enim citra molestiã refrigerãtia sustinet, propterea quòd isthic principiũ medullæ spinalis existat. At sinciput ob

Adhibitio medicamentorum.

laxitatẽ coarticulationis iuxta coronalẽ suturã, & ob osiiũ tenuitatẽ & raritatẽ, facilè tũ caliditatẽ tum frigiditatẽ omnium quæ adhibentur medicamentorum intrò distribuit. Refrigerãda autẽ quæcũque adhibẽtur medicamenta, in aqua vehementer frigida collocata: quæ si non adsit, niuem aut glaciem vasculo circũpones. Eòdem sanè modo oleis aliis vti licebit, vt est cotoneorũ, violaceum, & nymphea, nenupharinũ hodie nominãt. Interdũ adiicere mucilagines, vt vocãt, seminis psilii, & cotoneorum, ac linimẽtum conficere in hunc modum. ℞ Mucilaginis se. cotoneorum, mucilaginis se. psyllii añ ℥ iii. succi portulacæ ℥ ii. olei rosacei ℔ i. misce, fiat linimentum. Cum adiectione ceræ, & aliorũ medicamentorum vnguenta efficies in eum modum. ℞ vnguenti populeon ℥ i. oleorum violarum, & rosacei añ ℥ iii. florũ nymphea aridorũ, rosarum rub. añ ℈ i. ceræ quantum satis est: fac vnguentum, quod illinatur fronti & temporibus. Proderũt etiã embrochę ex rosis, violis, floribus nymphea, foliis salicis, hordeo excorticato, portulacę, vitis, ac similibus. Si somnũ conciliare volueris, adde papaueris lactucæq; folia. Hæc quidem, vt diximus, inter initia morbi remedia cõgruent. Postea verò mitigantia ac maturãtia medicamenta reprimentibus miscere oportet, in hũc modum. ℞ Florum rosarũ, violarum, añ

Linimentum.

Embrocha.

M s. foliorũ ſalicis, herbarũ camæmeli, meliloti, anã M i. ſe. maluæ ʒ iii. hordei excorticati ℥ i. Coquantur omnia in aquæ ℔ ii. vſque ad tertię partis cõſumptionẽ, fiat embrocha. Tandem ex diſcuſſoriis medicamẽtis quippiam addendũ, paulatim detractis iis quę repellunt. Hactenus de iis quę extrinſecus corpori adhibẽtur. Intra corpus aſſumi poſſunt vſitata hodie medicaméta, Iuleb violarũ, roſarum, conſeruæ eorundem, confectio quam manum CHRISTI appellant, & alia eiuſmodi, quibus alterandi ineſt facultas.

DE DOLORE CAPITIS EX FRIGORE. CAP. IIII.

Per frigus intellige intemperiem frigidam nudæ qualitatis, citra alicuius humoris
Cauſæ. frigidi confluxum. Hæc contrahitur ab ambiẽte nos aẽre frigido, potiſsimũ ſi quis aper to capite in hoc verſetur. Cibis & potu frigidis, præcipuè autẽ frigidæ aquæ potione, & in ea natatione: frigidorũ medicamẽtorum improuida admotione.
Signa. Signa dolentium caput ob frigiditatẽ, cõtraria ſunt eis quę ex calore oriuntur. Tangentibus enim caput nullus ſentitur calor, incõtracta minimeq; arida & decolor ipſorum facies exiſtit. Oculi neq; rubẽt, ſed cõtrà ſub tumido pallore deformãtur. Frigidis neque gaudent, neq; iuuãtur.
Victus. Caueat aẽrẽ frigidũ, verſetur in calido. Lactis vſum in cibo caueat, ac piſcium, alio-

rúmque, quæ comesta refrigerare possunt. Ouis sorbilibus, carnibus perdicum & phasianorũ similiúmq; vescatur. Dandũ vinũ tenuium partiũ, quod tantũ abest vt noceat, vt etiam plurimũ cõducat, quod nimirũ calefaciendi extenuãdíq; facultate præditũ sit. Motu corporis vtatur, gestationéq; in equo. Sõnus illi cõfert mediocris. ideóq; plus vigilãdum erit illi quàm dormiendũ. Lauacra calida prosunt. Animi perturbationes, tristitiã, grauésq; cogitationes euitet. In admouendis autẽ medicamẽtis cerebri natiuũ temperamẽtũ cõsiderandũ erit. quod tale est, vt neq; vehemẽter calida, neq; etiã vehementer frigida ferat medicamẽta. Cõuenit autem in hoc omnibus, quod oleũ rutaceũ calidũ, sincipiti (vt suprà dictũ est) adhibitũ, perfectè hominẽ liberare possit. Si verò vehementiori calefactione sit opus, piper aut euphorbium ad oleum cõiiciatur, aut aliquid olei de piperibus, vel euphorbii rutaceo oleo immisceatur. Conueniunt etiam haud secus atque rutaceũ, laurinũ, itẽq; irinũ oleum. quibus non solum frons, verũ etiam facies & nares inungendæ erũt. Prædictis oleis alia quædã medicamẽta calida adiicere licebit, atq; vnguẽtum hunc in modũ conficere. ℞ oleorũ irini, rutacei añ ℥ s. maioranę, betonicę, piperis añ ℈ I. euphorbii gr. v. cerę quod satis est, fiat vnguentum. Neq; parum proderunt embro-

Curatio.

vnguentum.

chæ ex floribus meliloti &camomillę,maiorana,origano,betonica,sambuco,saluia, foliis laurinis, stœchade, & similibus in aqua decoctis. In eũdẽ vsum sacculi adhiberi possunt,sic confecti. ℞ Foliorum lauri,serpilli, maioranæ añ M s.florum rosmarini M I.rutę P I.garyophyllorum,stœchados arabicę añ ʒ I.pulegii,calamenti añ ʒ I s. terãtur singula, & fiat sacculus capiti adhibendus. Imponatur autem capiti calefactus in latere, acetóq; prius irrigatus. Nec alienũ ab instituto erit, si quis pomum aliquod odoriferum in hunc modum composuerit. ℞ styracis calamitis ʒ ii.gariophyllorũ,maceris,ligni aloës añ ʒ s. lauendulæ ʒ i. galliæ moschatæ ʒ I s. moschi,ambræ.g.iii. Terãtur omnia subtilissimè, & cum aqua maioranæ & stacte, (storacẽ liquidam vocant) quod satis est, fiat pomum. Intra corpus adhiberi possunt, eclegma diacori, confectio diambræ, diamoschi dulcis, diantos, syrupus de stœchade, & alia calida medicamenta, quorum singulatim facere mentionem superuacaneum fuerit.

Sacculus

Pomum.

DE DOLORE CAPITIS EX SICCITATE. V.

Causa.

Per siccitatem accipe intemperiem siccam nudæ qualitatis, quæ potisimum ex immodica corporis vacuatione, siue ea per medicamenta, siue aërem ambientem, famem, coitum, exercitia, animique perturbationes

accideret, euenire solet. Deprehéditur si pau- Signa.
ca aut nulla penitus ex naribus excrementa
effluxerint, oculi concaui fuerint, plurimũq;
vigilauerint. Versetur in aëre humido, vesca Victus.
túrque cibis humectãtibus, & boni succi, vi-
tellis nimirum ouorum, testibus gallorũ eo-
rundémq; iure, phasianis, perdicibus, & aliis
quæ plurimum nutrire possunt. Vinũ bibat
tenue & aquosum, somno vtatur largiori. Ca
ueat motũ corporis, ac quiete potius otióq;
vtatur. Coitum, famem, sitim, & omnia quæ
exiccare possunt, fugiat. Lauacra quæ hume-
ctare valent (vt sunt, Galeno lib. 3, de Tuẽd.
valetu. autore, dulcium calefactarum aqua-
rum, si tepidiores fuerint) non parum prode Curatio.
runt. Lætetur, atque omnem animi perturba
tionem & perculsionem vitet. In hoc morbo
capiti adhibendum erit oleum violaceum,
amygdalinum, quod scilicet ex dulcibus cõ-
fectum est amygdalis. Inungendum verò iis
nõ solum sinciput, imò etiam naribus instil-
landa erũt. Non temerè iam dictis oleis pin-
guedines ammiscentur, ad eum modũ. ℞ o- Linimen
leorum violacei, nymphæę (nenupharinum tum.
nominant) añ ℥ iii. pinguedinis vitulinę, gal-
linæ, butyri recentis salis experti, añ ℥ ii. mi-
sce, fiat linimentũ. Neque à ratione alienum
erit, si aliis, nempe farina hordei, violis, aut
nymphæa adiectis vnguẽta & emplastra cõ-
feceris. Proderit etiam, embrochas ex violis,

similibúsq; herbis compositas adhibere. Intra corpus ea adhibéda erũt, quæ tabidis conueniunt, de quibus suo dicemus loco.

DE DOLORE CAPITIS ET PLENITVDINE. CAP. VI.

Hactenus de curatione doloris capitis quę ex nuda qualitatũ intemperie prouenit, egimus: iã de eo qui ex plenitudine oritur, verba faciemus. Plenitudinẽ autẽ vocamus, id quod Gręci πλῆθος κ, πληθώραν, quæ nihil aliud est, nisi quum quatuor humores ex æquo aucti sunt, aut cũ sanguis solus abundat. Idem enim est, quando syncerus sanguis in venis contineri nõ possit, quin aliquid bilis, vel pituitæ, aut serosi humoris illi cõmixtum sit. Hoc itaque aucto, vt reliqui etiam omnes humores increscant, necesse est. Atque hinc est, quòd recentiores hũc capitis dolorẽ ex sanguine nominauerint. Fit ab iis quæ plenitudinẽ in corpore procreare possunt, hoc est, quæ omnes ex æquo humores abundare efficiũt, vt sunt cibi & potus copiosi & boni succi, neglectio exercitiorũ, balnei, sudoris, & aliarum vacuationum naturalium & artificialium. Facies & oculi rubent, venæ tenduntur, adeo vt nõ maiores duntaxat, sed etiã paruę, quæ prius sensum effugiebãt, nũc visu cõprehendãtur. Pulsus magnus & vehemens. Vrina subrufa ac crassa. Venæ tempori pulsant. Dolor capitis grauatiuus.

Plenitudo.

Causæ.

Signa.

Verſetur in aëre frigido & ſicco. Vitet carnes, oua ſorbilia, & alia quę copioſè nutrire poſſunt. Vtatur ptiſana hordeacea, aut alica hordei. Oleribus frigidis, intybo (ſcariolam & endiuiam vocant) portulaca, & ſimilibus veſcatur. Fugiat vinũ, bibat aquã decoctiõis cinnamomi, aut hordei. Exercitetur mediocriter, fricetur, frequenti vtatur balneo, ita tamen vt corpus prius vacuetur, & æger minime febricitet. Sõnus ſit mediocris. Gaudeat & lætetur, animíq; omnis perturbatio abſit. Victus.

Primũ omnium curãdi ratio à ſanguinis miſſione auſpicetur, ac vena in cubito exteriore, quam humeralẽ & cephalicã hodie vocãt, eius partis in qua dolor potiſsimũ eſt, incidatur: quòd nimirũ hęc vena capiti ſit cõtinuata: atque adeo non ſolum in contrarium auellere, verumetiam euacuare partem affectam poſsit. Id quod non ſolum Galenus, verum etiam Razes lib. 9. ad Almãſorem Cap. 1. faciendum ſuadet. Quòd ſi ætas, aut virtus imbecilla venæ ſecandæ conſiliũ interturbarint, cucurbitæ affigendæ erunt: nõ quidem capiti, ſed membris ei cõtinuatis, & cũ eo ſocietatẽ habentibus. Sic enim Galen. lib. 13. The. meth. ca. 13. docet, ita ſcribẽs, generãdis adhuc paſsionib. minime iis partib. quæ laborare incipiunt, ſed quæ iis ſunt cõtinuatæ, cucurbita imponi debebit, auellendi in contrariũ cauſâ. Poſt hæc refrigerãtia & adſtrin- Curatio. venæ ſectio. Localia.

gentia medicamenta capiti adhibeantur, de quibus abundè suprà in cap.3.dictum est. Aluus etiã, vt aperta sit, medicus diligenter curet: ideóque si sponte sua excrementa corporis non deiecerit, hoc vel simili decocto purgetur, quod ℞ Florum boraginis, buglossæ, violarum, rosarum añ M s. se. quatuor cõmunium frigidorum maiorum excorticatorum añ ʒ ii. myxorũ (sebesté appellãt) prunorum damascenorũ añ numero xii. passularum, tamarindorum añ ℥ i. corticum myrobalanorum luteorũ, (citrinos hodie nominant) cæruleorum (indos appellant) cepulorum (chebulos vocant) empeliticorum (emblicos nuncupãt) beletzicorum (belliricos corrupta voce dicũt) añ ʒ iii. glycirrhizæ rasæ, liquiritiã appellant, ℥ i. fumi terræ, adianti, capillũ veneris nominant, añ M i. tamaricis (tamariscũ vocant) hemionitidis, scolopendriã dicunt, añ ʒ iii. foliorũ senæ, polypodii añ ℥ s. agarici ʒ ii s. zingiberis ʒ s. decoquantur singula in aqua fontana sufficienti, donec medietas eius consumatur. Dein coletur, & saccharo sufficienti dulcescat, clarificetúrq; cum albuminib. oui, & fiat potio depurata. de qua æger in aurora ℥ iiii bibat. Quòd si validius requirat medicamentum, tum præstiterit in ℥ iiii. iniicere rhabarbari in puluerem redacti ʒ i. spicæ ʒ s. aut in iis dissoluere casię fistularis ℥ i s. aut mellis aërii, mannam vocant,

Decoctũ purgans.

℥ i. Aut eclegmatis diaphenicôn ʒ iii. In eundem vſum exhibebis ſyrupũ violaceum, & oxyſacharam nominatã. Poſthæc adhibẽda capiti ſunt medicamenta quę reliquias morbi diſcutere valent, vt eſt althææ ſemẽ, fœnũ græcum, chamæmeli melilotíq; flores. Olea denique, chamæmelinum, anethinum, & ſimilia. Ex quibus linimẽta, vnguenta, emplaſtráque cõponi poſſunt, ad modum in præcedentibus capitibus monſtratum.

DE DOLORE CAPITIS EX BILIOSIS HVMORIBVS. CAP. VII.

Fit ab omnibus iis, quæ corpus præter naturã calefaciunt & exiccãt, adeóq; bilem flauam procreãt, vt ſunt vehementia exercitia, ira, victus ratio ex bilioſis cibis conſtãs, vita curioſa, & ſimilia. Causæ. Signa in hoc ſimilia ſunt ei q̃ ex calore oritur, maior tamẽ in hoc morſus, & faciei pallor. Signa. Interim etiã oris amaritudo, oculorũ ſiccitas, linguæ & nariũ eſt. Aetati etiã vigẽti, & temperaturis calidioribus, vitæq; ſolicitæ, & his qui flauã coaceruãt bilẽ, hæc paſsio præcipuè accidere ſolet. Moretur in aëre frigido & humido, qui arte etiam, vt ſuprà oſtenſum eſt, confici poteſt, ſi pauimẽtum ædiũ aſsiduè humore aſpergatur: aut flores ac germina, quæ frigidæ humidæq; facultatis ſint, per areã proiiciantur. Victus. Cibi in vniuerſum humidi & boni ſucci ſint. Veſcatur lactucis, portulaca, piſcibus paruis & ſaxatili-

bus. Potus ſit dilutus, aqua decoctionis cinnamomi. Vino prorſus abſtineat. Quieſcat, & ſomno vtatur largiore. Balneũ quoque illi temperatum, & vnctiones cõferũt. Gaudeat, & omnes animi perturbationes fugiat. Curãdi ratio à biliosi humoris euacuatione, nõ vt loquuntur barbari, digeſtione auſpicanda. Neque enim tenues humores, qualis eſt bilis flaua quãdoquidẽ mobiles ſunt, vacuationi inepti eſſe poſſunt: atque adeò vt præparẽtur nõ indigent, veluti in cap. 11, libri ſecũdi Paradoxorũ monſtrauimus. Vacuatur autẽ bilioſus humor per abſinthii cremorẽ, aut per aloën, & per hieram picram per ſe datã, aut catapotia ex aloë confecta. Neq; abſurdum erit, ſi quis decoctum purgans, cap. 6. deſcriptum exhibeat, atque in eo diſſoluat ℥ iii. eclegmatis de ſucco roſaceo, aut de pſilio vocati. Proderit etiam rhabarbari dilutũ (infuſionem hodie nominant) in hũc modũ cõpoſitũ. ℞ Rhabarbari ſelecti ʒ ii. ſpicæ ℈ i. concidantur minutatim, & macerentur in ſuccis intybi domeſtici, caſſutæ (caſcutã appellant) bugloſſi (borraginem nominant) añ ℥ i. vini optimi ℥ s. Durent horis duodecim in infuſione: dein valide exprimantur & colentur, adiectis eclegmatum de ſucco roſaceo, de pſilio añ ʒ i s. miſce, fiat potio. Vti etiam licebit catapotiis aureis, alephanginis, de rhabarbaro, de hiera ſimplici nominatis, & ſimi

Curatio.

Bilioſi humores nõ egent præparatione.

Dilutum rhabarbari.

libus. In delicatis non temere quis hoc bolo vtetur. ℞ scãmoniæ præparatæ ℈ I. maceris, cinnamomi, mastichis añ gr. iii. cõseruæ violarũ, nymphææ añ ʒ I. sacchari quod satis est fiat bolus. Proderit etiam clysteribus vti, in hunc modum confectis. ℞ Maluę, althææ, intybi vtriusq; domestici, hoc est, endiuiæ & scariolæ, violarum añ M I. hordei integri ℥ I. se. quatuor cõmunium frigidorum minorũ añ ʒ iii. Coquantur singula in aqua fontana ad tertiæ partis cõsumptionem, & colentur. ℞ colaturę ℔. I. medullæ casiæ fistularis ℥ I. hieræ picræ ℥ ß. olei violacei ℥ iii. vitellos ouorũ numero ii. salis ʒ I ß. misce, fiat clyster. Post biliosi humoris vacuationem, ea medicamenta quæ caput refrigerare ac roborare possunt, adhibeantur, qualia multa cap. 3. huius libri commemorata sunt. Quòd si vero vigil supra modum æger fuerit, sinciput oleo nymphææ, & de papauere inungedum erit. Adiicere etiã interdum necesse est prædictis parum opii, vt scilicet somnus hac ratione concilietur. Galenus in eum vsum trigoni pastillum, quem describit Paulus lib. 7. cap. 12. commendat, vt eo frons inungatur.

Bolus. Clyster. Localia.

DE DOLORE CAPITIS EX PITVITOSIS HVMORIBVS. CAP. VIII.

Generatur ab omnibus quæ pituitã in capite procreant, vt est aër frigidus & humidus, cibi iisdẽ qualitatib. præditi, pisces, lac,

Causæ.

oleta, fructúſque. item ocium, ſomnus à ple-
Signa. nitudine, & ſimilia. Dignoſcitur, ſi caput gra
uatur, facies alba ac tumida fuerit. Si deniq;
æger ſomno facile tentatur, piger eſt, ſenſib⁹
minime viget, & excrementis capitis redun-
Aer. dat. Aer ægrotũ ambiens, calidus & ſiccus,
ſit natura, aut arte per odoramenta aliqua,
cinnamomum nimirum, thus, gariophyllos,
agallochon (lignum aloes nominant) præpa
ratus. Carnibus veſcatur aſſis, & odoramen-
torum acceſſione conditis. Vinum tenuium
partiũ confert. Motus mediocris, & alia quæ
ſupra Cap. 4. mõſtrata ſunt. Ratio curãdi à
Curatio. præparatio. pituitoſi humoris extenuatione & inciſione
auſpicanda erit, in quem ſanè vſum mel roſa
ceum, oxymeli ſimplex, compoſitum, ſcylli-
ticum, ſyrupus de ſtœchade cum ſuccis hyſ-
ſopi, betonicæ, maioranæ, & ſaluiæ conue-
Decoctũ preparãs pituitam niunt. Vel ſi vſus ſyruporum & ſuccorum diſ
plicuerit, hoc decocto vti licebit. ℞ Radicũ
fœniculi, petroſelini, apii ãn ℥ i. radicis pęo-
niæ ʒ ii. ſeminum aniſi, fœniculi, ſileris mon
tani, ſeſeli Galenus vocat, ãn ʒ iii. ſtœchadis
arabici, origani, ſerpilli, maioranæ, calamen
ti, betonicæ, ſaluiæ, ãn M s. cinnamomi ſele-
cti, maceris, ãn ʒ i s. Decoquantur iuxta artẽ
in aqua ſufficiẽti, vſq; ad medietatis conſum
ptionem. colẽtur, & colatura ſaccharo quod
ſatis eſt, dulceſcat, atque ſubinde cũ oui albu
mine depuretur. Adde ſyrupi de hyſſopo,

oxymelitis ſimplicis añ ℥ iii.miſce, fiat potio. Præparatis ac extenuatis iā humoribus pituitoſis, reliquū eſt vt purgāti medicamento euacuentur. In quem vſum proderunt pilulæ de hiera compoſita, cocciæ, & ſine quibus eſſe nolo. ℞ Maſſæ pilularū cocciarum ʒ i s. pil. de hiera compoſita ʒ i. elephanginarum ʒ s. agarici trochiſcati ℈ ii. myrobalanorum cepulorū, chebulos hodie nominant, ℈ i. turbit optimi ℈ s. ſtœchados arabici, zingiberis, añ gr. v. maſtichis gr. vii. granorū pæoniæ numero iii. caſtorei gr. iiii. cum ſucco lauendulæ. fiant pilulæ pro ſingulis drachmis numero xi. Conferunt etiam clyſteres, non ſolùm propter euacuationem eorum quæ in inteſtinis cōtinentur, ſed etiam ob reuulſionem eorum quæ ad caput feruntur. In quem vſum prædictū decoctum præparās componentia medicamenta conducent, ſi colaturæ ℥ xii recipiantur, & in ea diſſoluantur benedictæ laxatiuæ ℥ s. eclegmatis Indi ʒ iii. diaphenicôn ʒ ii. mellis roſacei ℥ i. oleorum laurini, rutacei, añ ℥ i s. ſalis gemmæ vocatæ ʒ i. miſce, fiat clyſter. Toto vacuato corpore, eā quæ caput expurgare poſſunt, adhibēda erūt ex quorum numero ſunt apophlegmatiſmi, de quibus cap. I. abundè dictum eſt. Purgatur etiam caput per ea medicamenta, quæ hodie Caputpurgia voce barbara nominant. Conficiuntur ex ſucco maioranę, bliti, braſ-

Purgatio.

Pilulæ.

Clyſter.

Capitis purgatio

Gargarismi. sicæ, & huiusmodi. Gargarismi etiã hoc nomine adhiberi possunt ex succis hyssopi, betonicæ, origani, hiera picra, & oxymelite cõfecti, vel in hunc modũ. ℞ Radicis pyrethri, piperis longi, añ ℥ I s. se. staphysagriç ℥ s. maioranæ, pulegii, hyssopi, origani, betonicæ, añ M s. Decoquantur singula in aqua idoneç quãtitatis, donec tertia eius pars absumatur. Colaturç adiice mellis rosacei ℥ I s. oxymelitis scyllitici ℥ s. misce, fiat gargarism⁹. Sternu-

Sternutamentum. tamẽtorũ etiã hoc loco vsus erit, sic cõfectorum. ℞ Maioranæ ʒ i. nigellæ ʒ s. gariophyllorũ, piperis albi, cubebarũ, añ ℈ I. nucis myristicæ, struthii (cõditi vocãt) castorii, ellebori albi, añ ℈ s. misce, fiat puluis. Ditiorib⁹ adiiciendũ aliquid moschi & ambræ, cuiusque scilicet gr. ii. Narib⁹ etiã adhibere odoramẽta calida cõuenit, aut pomũ aliquod odoriferum conficiendũ erit, quale suprà cap. 4. cõ-

Errhina. memorauim⁹. Errhina etiã, Nasalia appellãt narib. indita cõmodant. vt ℞ Seminis staphysagriæ, pyrethri, piperis albi, añ ʒ s. nigellæ, struthii, añ ℈ ii. ellebori albi ℈ s. redigantur singula in puluerẽ, & cũ resina terebinthina fiant Nasalia. Post capitis purgationẽ cõueniunt inunctiones, embrochç, sacculi, & similia medicamẽta suprà cap. 4. producta, quibus discutiẽdi inest facultas. Intra corp⁹ exhibẽtur cubebç saccharo obductæ, cõfectiones diambræ, diamoschi, aromatici rosacei,

diacumini, theriaca, Mithridati antidotus, diacori, cõseruæ maioranæ, rosmarini, betonicæ, & eiusmodi. Potissimũ verũ hæc confectio. ℞ Specierũ aromatici ros. diambrę, diamoschi dulcis, añ ℈ii. specierũ eclegmatis de gemmis, dianthos, añ ℈ i. cubebarũ, maceris añ ℥ s. agallochi (lignum aloës vocãt gariophyllorũ, se. fœniculi, añ ℈ s. cinnamomi electi ℈ ii. stœchados arab. ℈ s. sacchari cãdidissimi ℥ vi. in aqua florũ pæoniæ & lauendulę dissoluti, fiat cõfectio ĩ rotulis aut morsulis. Morsuli.

Hic practicarum, vt vocant scriptores inserunt caput de dolore capitis ex melancholicis humoribus, præter tamẽ necessitatẽ, cum omnia quæ hic ab iisdem dicũtur, rectius in cap. de melancholia sint transferenda.

DE CEPHALAEA. CAP. IX.

κεφαλαία. Cephalæa, diuturnus & ægrè cedẽs capitis dolor Græcis appellatur, qui ex parua occasiõe maximas exacerbationes habet, adeò vt neque strepitus neque vocem vehemẽtiorem, neq; splendidũ lumẽ, neque vini potionem, neque caput replentia odoramẽta, neque motum tolerare possint: sed in quiete & tenebris ob dolorum magnitudinem decumbere cupiant, vt quibus veluti à malleo feriri caput videatur. Quidam etiam velut contundantur aut distendantur ea, quæ circa caput sunt, sentiunt: non paucis verò vsque ad oculorũ radices dolor progreditur. Habet autẽ

hic affectus aliquando quidem cõtinuos dolores, aliquando verò exacerbationes, & interualla siue ordinata, siue inordinata. Quidam etiam ex eis cerebri membranas dolitant: quidam verò membranam tantum caluariam ambientem. Fit ex vaporum aut

Causæ.

humorũ calidorum vel frigidorum multitudine, intra caluariam vel extra cõtenta. Do

Signa.

lores cum grauitate, humorũ multitudinem significãt: cum mordacitate verò, aut humorum aut vaporũ acredinem: cum pulsu autẽ, inflammationẽ: cum tẽsione verò, siquidem citra grauitatem & pulsum fiat, flatus tenuis & ventosi multitudinem demonstrant: cum pulsu verò, mẽbranosi corporis inflammationem: Si verò, cum grauitate distẽtio fiat, humorũ multitudinem intra mẽbranas contentam. Et dolores quidem in superficie hærentes, membranæ os caluæ ambientis affectum significãt: Qui verò in profundo sunt, cerebri membranarum. Quibuscũque enim affectus intra caluariam est, his vsq; ad oculorum radices dolores procedunt, propterea quòd oculorum tunicæ ex cerebri membranis habeant ortũ. Si verò humor putrefactus calidior fiat, cum febri caput dolitant. febricitant autẽ omnino & qui ex inflãmatione dolent.

Victus.

Victus ratio ex superioribus de capitis dolore Capitibus petenda erit.

Curatio.

Curatio, si humorum aut vaporũ multitudo cau-

ſa fuerit, à vacuatione totius corporis auſpi-
cabitur. A ſanguinis quidem miſsione, ſi to- Venæ ſe-
tius corporis plenitudo fuerit. Incidenda ctio.
verò vena primùm cubiti externa, eiuſdem
quidem lateris, humeralem nominant. Etſi
amplius ſanguis redundare videatur, etiã ex
naribus aperta vena, quantum ſatis eſſe vide
bitur, detrahere conueniet. Si verò caput tan
quam imbecillũ, ad ſe ſublatos humores ac
vapores excipiet, materiam in totum corpus
reuellere oportet, atque ita particulæ affectæ
mederi. Per purgatoria itaque medicamen-
ta & clyſteres, quorũ omnium in ſuperiori-
bus capitibus copia habetur, ligaturis extre-
mitatum, & pluribus infernarũ partium fri-
ctionibus reuulſio fiat: præcipue autem hie-
ra, cuius vim (vt cap. primo diximus) exa-
cues, exhibẽda eſt. Cæterum poſt totius cor-
poris vacuationem, caput vacuãtibus vteris,
apophlegmatiſmis nimirum, ſi pituitæ eſt
abundantia, & aliis medicamentis quæ nari-
bus induntur, cap. 8. commemoratis. Deinde
ea quæ robur addere poſſunt, admouenda.
Repellit igitur oleũ ex oliuis immaturis ex-
preſſum, & roſaceum, per ſe & cũ aceto, aliá-
que quorum in præcedentibus facta eſt men
tio. Adhibẽda verò remedia tepida quidem,
vbi frigidior & crudior fuerit humorũ mul-
titudo: frigida autem, vbi calidior & bilio-
ſior extiterit. Poſt hæc, diſcutientia medica-

menta adhibenda erũt: veluti est oleum chamemælinum anethinũ, & similia suprà producta. Si verò crassior sit humorum multitudo, serpillum, aut pulegii comam, aut calaminthen, aut mentam oleo incoquẽdo, multitudinem euacuabis. Eadem hæc etiã robur parti affectę addunt, quapropter vsq; ad perfectam curationem eis vti conuenit. Omniũ porrò lõgè maximè discutit, & perfectè corroborat, verbenaca recta (verbenam appellant) viridis. imò & arida cum radicibus, & simul cum serpillo, oleo incocta. Reliqua quę ad curationem cephalææ scitu necessaria sunt, ex iis quæ antea de dolore capitis dicta sunt, disces.

DE HEMICRANIA. CAP. X.

Finitio. Hemicrania est passio dolorifica, quę circa dimidiam capitis partem, aliquando dexteram, aliquando sinistram cõtingit, & iuxta suturã secundum longitudinẽ eius extensam terminatur. Hæc vt plurimùm per circuitus exacerbatur: ac quibusdã extra caluariã, quibusdã in profundo capitis, aliis circa tempo-

causæ. rum musculos dolor sentitur. Fit ex vaporũ aut humorum siue multorum, siue calidorũ, siue frigidorũ per venas, vel arterias, vel per vtrasque influxu, quum scilicet ea sola quæ intra caluam cõtinẽtur, hoc est, cerebrũ eiúsque membranæ, quod in ipsis redundat, foras protrudunt: aut cũ interdum partes cor-

poris infra caput positæ, vitiatos vapores aut humores sursum mittunt. Notæ quibus humores multi, calidi aut frigidi deprehendun tur, ex præcenentibus capitibus petēdæ sunt. Quo autèm in loco capitis passio fuerit, ex iis quæ in Cap. de cephalæa dicta sunt, cognosces. Quibus hoc adiiciendū erit, si mem brana caluam ambiens patitur, tum adeò ve hementer dolere, vt neq; manuū contactum facilè ferant, ita vt ne cutis quidē ipsa omnino à passione immunis sit. Victus ratio ex su perioribus de capitis dolore Capitib. petēda venit. Præcipue autem vitanda erūt, quæ vaporum copiam sursum mittere possunt, velu ti cepe, allium, sinapi, raphanus, & similia. Qui vero hemicraniā curare aggreditur, pri us nū venæ sectione, aut purgatione ęger indigeat, consideret. Si enim ob plenitudinem passio orta fuerit, humeralis (quam hodie ce phalicam vocant) vena, quæ è directo partis patientis est, incidēda erit. Sin vero propter vnius humoris redūdantiam hemicrania inuaserit, per conuenientia medicamēta is humor purgādus erit, vt superioribus Capitib. monstratum est. Vniuerso corpore vacuato, ad capitis ac localia præsidia progrediendū erit, ac vel per digitos manus, vel linteum, di midia frontis pars. & ea maximè quę circa tē porum musculos est, confricando calefaciēda; atq; in ante accessionis irritationis ve tē-

Sgna.

Victus.

Curatio.

Localia.

pus faciendũ eſt. Poſt exacerbationem verò medicamentis hemicranicis à veteribus medicis appellatis vtendum: ſiquidem multa caliditas in doloribus percipiatur, his quæ aliquid habẽt refrigeratorium: citra verò hãc, his quæ multum calefaciunt. Vtriſque verò aliquid ex iis, quæ robur addunt, miſceatur, quod adſtrictoriam videlicet habeat facultatem. Optimum autem in frigido affectu vnguẽtum erit, quod ℞ olei anethini, olei irini, añ ℥ s. piperis albi, ſerpilli, añ ℈ i s. caſtorii ℈ i. euphorbii ℈ s. ceræ quod ſatis eſt, fiat vnguentum, quod dimidiæ frontis parti, & muſculo temporis illinatur. Nec parum confert oleum cui exiguũ euphorbii cõmixtum ſit, tepidum in aurem infuſum, vt ℞ olei communis ℥ i. euphorbii ℈ i. miſce, & gutta vna in aurẽ inſtilletur. Quædam etiã naturæ proprietate euphorbium aceto dilutum, ac lateri dextro, dolente ſiniſtro, applicatum, & cõtrà ſiniſtro dolente, dextro illitum, hemicranicis maximè cõfert. Idem poſſunt lumbrici terræ triti, & cochlearum carnes lateri affecto illitæ. Sunt qui perſicorum nucleos tritos, ac illitos parti patiẽti, mirificè prodeſſe tradant. Si verò à calidis humoribus aut vaporibus dimidiæ capitis partis dolor fit, ea auxilia quæ ſuprà de capitis dolore ex calore & biliioſis humoribus orto, memorauimus, conferent.

Vnguentum.

DE VERTIGINE. CAP. XI.

Quod scotoma Græcis est, hoc Latinis vertigo dicitur. Hinc vehementer errant, qui inter se differre tradunt. Barbari corrupta voce Scotomiã nominant. Est autẽ, vbi obtenebratiões hebetudinésq; oculis obuersantur, & omnia circumagi & rotari vidẽtur. Oritur verò interdũ cerebro primogenia passiõe laborante: interdũ etiam, quũ ori ventriculi cõsentit. Cerebrum autẽ patitur, cum crassus ac lentus humor ipsum occupat, à quo vaporosus spiritus ab imbecilli calore resolut⁹, in cerebri partibus inordinatè mouetur. Ori autẽ vẽtriculi cõsentit, quando propter excremẽtà vitiosa in eò aceruata, ad ipsum cerebrum exhalatio vaporosa fertur, spiritum animalẽ in illo circumagens. Qui hac passione laborant, iis à quacũque leui occasione, prę oculis tenebrę apparẽt, adeò vt interdũ cadãt, maxime si aliquãdo in circum rotentur. Siquidẽ ipsis ab vna rotatione euenit id, quod aliis à pluribus accidere solet. Proinde hebescũt siue alium quẽpiam, siue rotã, aut id genus aliud quippiã, aut ipsos quoq; in aquis vortices circũagi viderint. Visibilis enim spiritus rotæ agitatę aliísq; iam dictis occurrẽs, eodẽ motu circumuehitur, atque ita turbulẽtus, inæqualis, inordinatúsq; humoris & spiritus mot⁹ redditur. Vbi ex primaria cerebri passione vertigo dependet, tum aurium so-

σκότω-μα.

vertigo.

Causæ.

Sigda.

nitus, vehemẽs dolor capitis, grauitásq; prę
cedunt: item olfactus, atque alterius cuiusq;
sensus à capite prodeuntis oblæsio. Patiũtur
autem tum potissimum, cum sub sole æstua-
uerint, vel aliam ob causam calefacto capite
humores dissoluti circumaguntur. Vbi verò
ab ore ventriculi oritur, stomachi morsionẽ,
cardiogmon Græci appellãt, & nauseã prę-
sentiunt. Versetur in aëre puro ac lucido, fu-
Victus. giat crassum ac nebulosum. Cibis vescatur
boni succi & concoctu facilib. flatúq; omni-
no carẽtibus: carnibus perdicũ, caponũ, pha-
sianorum, gallinarum, vitulinis: piscibus sa-
xatilibus. euaporantia quæuis deuitet. Bibat
vinum aquosum, album tenuissimum, & nõ
valde antiquum, aut hydromeli. Exercitio v-
tatur mediocri. Somnum diurnũ fugiat: no-
cturno prolixiori vtatur. Caueat sibi ab ani-
mi perturbationibus. Non intueatur res in
gyrum actas, & rotatas, aut celeriter motas,
neq; in præcipitiis ambulet. hæc enim singu
la passionem exacerbare possunt. Vertigino
Curatio. sos in accessione quidẽ odoramẽtis, frictio-
nibus, & id genus aliis excitare cõuenit. Vi-
venæ sectio. rium autem attestante robore, si nihil aliud
obstiterit, vena humeralis secanda est, siue
principiũ morbi fuerit, siue etiã processerit.
in sanguinis autem missione obseruandum,
ne plurimum confertim vacuetur, propterea
quod à quacunq; leui occasione æger facile

concidat. Pluribus itaque ablationib. per certa interualla vtentes, congruam mensuram explebimus. Quòd si verò sanguinis missioné quidpiam prohibuerit, aluus subducatur, semper redundanti humori medicamentum adaptando. Plurimum verò cõfert, primùm vacuare per acrem clysterem, non solũ propter eorum quę in intestinis continentur vacuationem, vt suprà quoque diximus, verum etiam ob reuulsionem eorum quæ ad caput feruntur. cuius sanè compositionem pete ex Cap. de Apoplexia. Præmissis hisce vniuersi corporis euacuationib⁹, capiti localia remedia adhibenda sunt, nempe cucurbitulæ ad occipitiũ cũ scarificatione. Postea apophlegmatismis, gargarismis & sternutamentis vtẽdum est. In nares deinde anagallidis succus, aut cyclamini infundendus. Nitrũ vero cum nigella tritum, & oleo antiquo mixtum, per nares egregrie purgat. Deinceps æger ad balneum ducendus erit, ac capiti embrocha ex medicamentis discutiendi facultate præditis composita adhibenda. Quod si vero caput in balneo supra modũ incaluerit, rosaceo, & aceto sæpe fouendum est, ad refrigerandum. Si igitur ob hęc præsidia passio cessauerit, deinceps à validioribus abstinẽdum: sin perstiterit, capitis arterias in temporibus circa aures incidere oportet, ventre tamen prius aut medicamẽto aut clystere purgato.

Purgatio.

Localia.

Qualiter verò incidendæ sint arteriæ, docet Paulus Aegineta lib.6.Cap.4. Neque absurdum erit cauterium hoc occipiti post aures adhibere, quod ℞ cantharidum, abiectis capitibus, alis & pedibus, ʒ i. fermenti acris ʒ s. cum aceto & vino è sublimi ignis commercio distillato subigãtur, & admoueãtur. Vertigo autem à ventriculi oris consensu, vomitu curari potest, qui hoc medicamento mouendus erit. ℞ Anethi M i. se. raphani, se. raparum añ ʒ ii. radicis raphani ℥ s. ebulliãt in aqua sufficiẽti, donec tertia pars absumatur. Coletur, & ℥ iii. colaturæ addantur oxymelitis scyllitici ℥ i s. misce, dentur à comestione. Proderunt etiam pipulæ stomachicæ, & similes. Dentur à cibo ea quæ ventriculi os constringunt, atque adeò ne vapores sursum ad caput ferãtur, prohibẽt: vt sunt diacotoniôn simplex, cotonia ipsa, pyra adstringentia, & eiusmodi, de quibus omnib⁹ suo loco plura.

Cauterium.

DE PHRENITIDE. CAP. XII.

Phrenitis est cerebri, aut membranarum eius inflãmatio, Galeno lib.2. de Symp. causis authore. Sunt autem phrenitidis plurimæ differentiæ, tres tamen præcipuæ. Aut enim imaginatrix sola facultas læsa est, seruata illæsa ratione. id quod Theophilo medico cũ ius Galen. lib. de Sympto. diffe. meminit, euenisse constat: qui quum alioqui prudenter se gereret, atque eos qui præsentes erant, ex-

Φρενῖτις.

prima eius species.

actè noſceret, tibicines tamen quoſdam arbitrabatur eſſe in angulo cubiculi, in quo decũbebat, eóſq; tibia canere, atque pulſare, & ſe illos videre putabat: alios quidem ſtantes, alios autẽ illic ſedentes, atq; ita cõtinenter canentes, vt neque noctu, neque interdiu quicquam remitterent. proinde aſsiduè clamans, iuſsit eos à cubiculo expelli. Is verò vbi cõualuit, quicquid ſinguli eorũ qui ipſum viſitabant, vel dixiſſent vel egiſſent, narrabat. Hoc etiam pacto Galenus ipſe laborauit, vbi per æſtatẽ ardente febri correptus erat, vt licet videre lib. 4. de patiẽtibus loc. cap. 1. Imaginatio autẽ læditur priore cerebri parte patiẽte. Aut ratio tãtum patitur, ſalua imaginatione. Sic patiebatur phreniticus ille, cuius mẽtionem facit Galenus loco iam citato, & lib. 4. de Patientibus loc. Cap. 1. qui quum Romæ domi cum lanifici puero contineretur, ſurgens à cubili venit ad feneſtram, per quã & ipſe videri, & prætereũtes videre potuit. Itaque ex vitreis vaſis ſingula oſtẽdens interrogauit, iuberéntne vt ea proiiceret? Illi verò ridentes plaudentéſque, vt ea proiiceret, rogabãt. Tum ipſe deinceps omnia arripiens, eiecit. at illi magnis acclamationibus riſerunt. Poſtea iuberẽt ne puerũ quoq; proiici, quũ interrogaſſet, atque illi iuſsiſſent, ilico ipſum deiecit. Hic ſanè ſingula vaſa ſuis nomenclaturis probè nominauit. vnde ĩtelligi poteſt,

Secunda ſpecies.

neque imaginationẽ fuiſſe læſam, neque no
Tertia ſpecies. minum memoriam deletam. Media verò cerebri parte patiẽte, ratiocinãdi vis euertitur. Aut imaginatio ſimul & ratio lędũtur. Cau
Cauſæ. ſa morbi eſt, vel ſanguis exuperans, vel bilioſus humor cerebrum occupans. Nonnunquã etiam ex bile peruſta naſcitur, quæ certe gra
Signa. uiſsimam phrenitidem contrahit. Febris cõtinua & amẽtia infeſtant, plurimáque parte ſomnus difficilis, & vigiliȩ comitãtur. Interdum quoque ſomnus turbulentus accedit, vt conſurgant ægri, exiliant, furibundè vociferẽtur, verba ſine ordine & ſenſu effundãt, interrogantibúſq; nihil certi reſpõdeant. Oculos habẽt cruentos, & ſæpe perfricãt: interim aridos, interim lachrymantes. Lingua eorũ eſt aſpera, & ex narib9 ſanguis deſtillat, floccos feſtucáſque colligunt. Pulſus ad hæc exiguos, languidos, & quadantenus duros ha-
3. Præ. bẽt. Spiratio magna & rara. Quibus ſangui-
27. neus humor morbum fecit, ii cum riſu inſaniunt: Quibus flaua bilis, ferociter & tã immaniter ſæuiunt, vt coërceri nequeant: omnium, quæ dicunt faciúntque obliuiſcuntur.
Victus. Decumbat æger in loco tũ aëris, tum luminis tẽperati, ac variis picturis libero, in quẽ amiçi quidem gratiſsimi ingrediantur, qui tamen non inoportunè interpellent, & nonnunquam blãdè ac leniter alloquantur, nonnũquam acerbius increpent. Cibus primum

esto ptisanæ cremor, aut alica hordei, aut panis medulla cum aqua mulsa, aut melle rosaceo sæpius lota. Oleribus vescatur, intybo, lactuca & malua elixis, & similibus, quæ refrigerare atque humectare possunt. In inclinatione morbi pisces quoq; squamosi, & saxatiles dandi sunt. Mala etiam punica, cerasáq; si multus intus cõficiat feruor, offerenda. Potus sit aqua decoctionis cinnamomi, aut hordei, cui admixtus sit syrupus violaceus, rosaceus, aut nymphææ, quem nenupharinũ vocant. Hæc autem non confertim, hoc est, copiosè & celeriter ingurgitãda, sed identidem parciùs exhibẽda: neque enim sitibundi admodum sunt, vt potum vehementer affectẽt. Atque hinc est quod Hippocrates lib. 1. Prænotionum, & lib. 6. Epid. par. 2. aph. 6. Brachypotas appellat. Vbi verò cõcoctionis notæ apparent in lotio, & febris non vehemẽs, sed lenior fuerit, atque vires nõ satis robustę, vinum tenue & dilutum (quod oligophorõ nominant Græci) dandum. Quod tutius fit in his qui sani hoc bibere consueuerunt, & vẽtriculum natura imbecillum & frigidum sortiti sunt. In quiete denique ægri, quoad eius fieri licet, cõtineantur: si diuites fuerint, à famulis: sin pauperes, vinculis. nam inordinata motio vires conuellit. Cæterum vbi morbus se remiserit, gestatione corporis vti conuenit. Balneum quoque aquæ dulcis, si

βραχυπόται.

ὀλιγοφόρον.

Vinum.

corpus squalidum aridúmque fuerit, cõfert: modo tepida fuerint. Cum enim humectent & refrigerẽt, non solũ siccitatem, verũetiam immodicas vigilias mẽtísque alienationem vnà cũ febre profligare possunt. Non sunt tamen nisi corpore prius vacuato, vt iam sæpe monuimus, adhibenda. Officiũt phreniticis supra modum animi perturbationes: proinde nihil quod mœstitiam inferat, aut bilem creet, committendum est. Si vires ægri permittũt, sanguis protinus mitti debet: quoniã non est salubrius aliud, neque præsentius auxilium. Secunda autem cubiti vena, humeralis dicta, aut si ea delituerit, media: & quantum tulerint vires, euacuandum. Nõ tamen vsque ad animi deliquium, vt nonnulli arbitrãtur. præstat enim minus demere quàm oportet, ob plurimã vehementis motus agitationem, plurimũmque laborẽ quo ægri afflictantur. Prospiciendum etiam, ne clàm ęger brachii vinculũ soluat. Dein rectam in frõte venam etiam incidere licebit. Quod si ætas venæ sectioni obstiterit, tum cucurbitulæ cũ scarificatione occipitio & spinæ admouẽdæ erunt: quę etiam hoc nomine conferre solẽt, quòd à capite humorũ defluxum in contrarium auellunt. In hũc sanè vsum præstat clysteribus vti, hoc modo cõpositis. ℞ Foliorũ maluę, violarũ, intybi (quod scariolã vocãt) lactucę, anã M. I. hordei decorticati ℥ I. myxo-

Curatio. venæ sectio.

Auersio.

Clyster.

rũ(sebesten nominant)numero xi.Decoquã tur in aqua sufficienti ad tertias.℞ Colaturę ℔ i.casię fistularis recens extractę ℥ i s. mellis rosacei ℥ i.olei violacei ℥ iii.salis ʒ i s.misce,fiat clyster.Si volueris vt validius purget, adiicienda erit hierę picrę,aut eclegmatis de succo rosaceo ℥ s.Auertendi etiã à capite humores,ligaturis extremitatum, frictionibus pedũ cum sale & aceto,ac similibus. Caput verò rosaceo vel oxyrhodino, tepidioribus irrigari oportet.Inflãmato enim cerebro vel membranis eius,frigiditas tuta non est,sicut neq; vehemẽs caliditas. Frigiditas enĩ meatus constringit,neq; sinit excrementa è capite discuti: at ingens caliditas feruorẽ congeminat.In hunc vsum etiam conueniunt succĩ plantaginis,solani, & alia quorũ suprà facta est mentio.Si passio vehemẽtior fuerit,caput faciémque assiduè oleo in quo capita papauerum decocta sunt,fouebis.Odorẽ quoque naribus obiiciemus,rosas,violas,flores nymphææ,caphuram,camphoram hodie nominãt:ac nares ipsas intus,vel frontẽ,ex iis aut similib.medicamẽtis illinemus. Nam sopire ac stupefacere principẽ facultatem oportet, cerebrum scilicet, quod supra modum incaluit,refrigerando. Si vigiliæ etiam vehementer vrgent,quæ somnum conciliare possunt, qualia multa quæ suprà dicta sunt,huc transferenda adhibebimus.Conferet autem inter

Localia.

Somnifera.

Vnguentum. cætera hoc vnguentũ, quod ℞ vnguenti populeôn ℥ ii. olei violacei ℥ iii. ſe. hyoſcyami, corticis mandragoræ, añ ℈ s. opii gr. ii. croci ℈ s. aceti parum, ceræ albæ quod ſatis eſt. Embrocha etiam hæc tepida capiti adhibenda,

Embrocha. quæ ℞ Florum violarum ſiccarum, roſarum rubearum, nymphææ, añ M I s. hordei excorticati ℥ I. ſe. papaueris albi ℥. ii. ſe. lactucæ ℥ iii. Decoquantur in aqua fontana ſufficienti, & fiat embrocha. Poſtremùm, vbi morbus iam

Digeſtio reſedit, mitiórq; factus eſt, id quod tertio die plurimùm accidere ſolet, digerentia quæ reliquias morbi diſcutere poſſunt, medicamenta admouẽda erũt. In quem vſum priori embrochæ flores chamæmeli, anethi & meliloti admiſcere licebit. Sunt qui gallinas aut catulos per medium fiſſos capiti apponant. Similiter ſunt qui calidum pulmonem arietis, vel recẽs ex animali exceptum, vel aqua feruẽti calefactum admoueant. Si autem diutinum iam malũ fuerit, in oleo ſerpillum decoquere cõuenit. Galenus lib. 11. & 13. Ther. meth. caſtoreo vtẽdum eſſe phlegmone iam inclinante docet, quoniam non continuò locis circa cerebrum, ſed oſsibus interueniẽtibus occurrat. Ineſt autem ei medicamento & partium tenuitas, quod ipſum iis quorum per dẽſa propugnacula tranſmitti vim oportet, eſt accommodum.

DE LETHARGO. CAP. XIII.

Lethargos paſsio phrenitidi cõtraria eſt. λήθαργος eſt enĩ marcor, & inexpugnabilis penè dormiẽdi neceſsitas. Hoc vitio correptis omniũ rerum obliuio accidit, vt verbis nulla ſuppeditetur materia: hinc etiam nomen nactum λήθη. eſt. Lethe enim Grçcis obliuio eſt, Arge autẽ ἄργη. captura, vel Arge iners: vt Lethargos non ſit ἀργὴ. aliud, niſi iners obliuio, vel morbus obliuionẽ inducens. Cauſa eius eſt pituita, quç Cauſæ. frigore nimio & humiditate cerebrũ imbuit. Lethargicos comitatur febris lenta. putreſcit Signa. enim humor pituitoſus in hoc morbo, Galeno lib. 13. The. meth. teſte, cum profunda in ſomnum delatione. Pulſus his magni rariq; ſunt, & vndoſi. ſpiratio nimis rara, & imbecillis. Somnolẽti perpetuò ſunt, deſidioſi, ignaui. Vix & tardè quocunque modo interpellentur, reſpondent. Oculos quandoq; ad vociferationem aperiunt, & denuo claudũt, ad ſoporémq; reuertũtur. Omnium veluti amẽtes obliuiſcuntur. Oſcitant crebro, & hiante ore aliquandiu perſiſtunt, tãquam claudere id obliti. Ad meiendum vocati, porrectã matulam manu tenentes, meiere obliuiſcuntur. Deiiciunt per aluum magna ex parte liquidiora. Nonnullis contrà venter indureſcit. Vrinam reddũt iumentis ſimilem. Quidam ex eis tremiſcunt, & ſudoribus vndiquaque madent. Cubile, in quo decumbit æger, Victus.

Victus. splédidum, lucidum & tepidum sit. Cibi sint attenuantes, incidentes, exiccantes, qui condiantur apio, aniso, cymino, pipere & similibus. Ex auibus, montanæ auiculæ, pullus domesticus, perdix: olerib. porri, asparagi, petroselinum. Cremor auenæ, vel alica eius cum oxymelite, vel salibus, vel pulegio, conueniunt. Potus sit hydromeli, aut vinũ aquosum, tenue & albũ. Si vires permittunt, & nihil aliorum obstiterit, Galeno lib. 13. Ther. meth. autore, sanguiné statim ab initio mittere expedit. Sin minus, clysteribus acribus aluus eluenda, de quibus in cap. de apoplexia dicemus. Dein oxyrhodinum capiti admouendũ. Nam repellendus à capite humor est, quisquis is fuerit, eodem Galeno teste. In quem vsum etiam frictiones cũ pyrethro, pipere, sale, & aceto, ligaturęq; extremitatũ cõferunt. Odoraméta quoque excitatoria admouenda, veluti castoreum, funiculus extinctæ lucernæ, pix humida, bitumé, chalbanũ, sulphur, sagapenum (serapinum vocant barbari) cornu ceruinum, abrotonum, & peucedanum. Extrema cruráque pungere, nonnũquam pilos etiam in ipsis vehementius euellere oportet, quò excitētur. Licebit etiam in aceto thymum, pulegium, & origanũ, aliáque id genus incoquere, ac narib. ægri admouere, quò vapor ad cerebrũ delatus, crassitudinem humoris dissecet. Palatum etiam

Curatio.

Localia.

Excitatoria.

valentibus & acribus medicamentis, verbi gratiâ ſinapi cum melle, antidoto Mithridati, theriaca, & puluere & pyrethri inũgendũ. Conarīq; oportet, pituitam indidem affixã digitis eiicere. Ab his vero etiam ſternutamẽtis vtemur: & ſi admittantur, apoplegmatiſmorum vſus erit. At ſi iis affectus non diſcutitur, caput radẽdum, deinde fouendum eſt ſale, milio, & ſimilibus per ſacculos adhibitis. Ad hæc ſinapiſmo vti in capite prodeſt, ex caricis & ſinapi ex aceto contritis confecto. Poſtea cucurbitulas occipiti affigere cũ plurimo igne oportet, circa primam & ſecũdam vertebras. Caſtorio etiam caput illinendum. Quinetiam, vt Alexander Trallianus lib. 1. cap. 20. docet idipſum potui dare cum oxymelite expedit. Nam vno hoc medicamento nonnulli miſerrime toto corpore impediti, ſanitati reſtituti ſunt. Præterea ad naturæ excretiones frequenter ſollicitare oportebit, tum clyſteribus, tum iis quæ vrinã mouent: pubem oleo rutaceo, cui ſit adiectum paululum caſtorei, aſpergere. Cæterum vbi morbus inclinare inceperit, geſtatio ſtatim continua vtilis eſt, & balneum, quod ſupra modum conferre ſolet. Siquidem Alexander Trallianus ſe cognouiſſe quempiam ſcribit, qui lethargo grauiſsimo laborauerit, adeò vt ſe leuari non ſentiret. Is poſt duodeuiginti morbi dies balneum ingreſſus, tantum ſenſit

Hiſtoria.

auxilii, vt à somno statim expergisceretur, aliosq; attẽte intelligeret, & ipse verba expedite faceret, familiares oẽs agnoscens. Quòd si verò æstũ balnei, ob vires imbecillas ferre haud possit, saltẽ domi in solio aquæ calidæ lauãdus erit. Cauendũ tamen, ne aqua caput ęgrotãtis perfundatur. Smegmate autẽ mordaciore in balneo detergẽd⁹, vt vini fece vsta sinapi, pyrethro, pipere, lauri baccis, calce viua, & similibus: quib⁹ duplũ nitri addendũ.

Κάρος.

DE CARO. CAP. XIIII.

Caros est passio, quam sensuum vniuersarúmq; motionum priuatio, spirandi facultate manente illæsa, consequitur. Arabes Subet appellant. Differt ab apoplexia, quòd in hac spiratio vehementer opprimatur, sic vt quis vel magno conatu vix spirare possit: In illo autem spirãdi facultas, Galeno lib. 4. de patientib. loc. cap. 2. teste, haudquaquam læ-datur. Distat etiam à lethargo, quòd lethargici interrogati respondent, neq; omnino muti decumbunt. Caro verò laborantes, somni profunditate occupantur, vt si stimulentur, sentiãt quidem, nihil tamen dicãt, neq; oculos aperiant. Huius passionis frigidus ac crassus, aut omnino viscidus humor, causa est. Signa ex iis quæ dicta sunt, innotescẽt. profunditate namq; somni occupantur, oculique in hac passione perpetuò conueniunt. Horum victus & curatio cũ lethargicis cõ-

Subet.

Differentia cari ab apoplexia.

A lethargo.

Causa.

Signa.

Victus &

uenit, ad maiorem tantum incisionem atte- nuationémque declinamus. Stomacho etiam quæ calefaciant & corroborent, medicamenta adhibenda, de quibus suo dicemus loco. curatio.

DE CATOCHA ET CATALEPSI. CAP. XV.

Catocha & catalepsis Græcis, detentio & deprehensio Latinis dici potest. Recentiores medici congelationem nominant. Est autem detentio subita & occupatio tũ mentis, tum corporis, sensu ac motu priuati, ægro in ea corporis figura permanente, in qua fuerit correptus, siue sederit aut iacuerit, siue clausis siue apertis oculis fuerit. Fit haud secùs atque priora mala, à frigido pituitosóq; humore, cerebri posteriora potissimũ molestãte. Inuadit hoc mali hominem subito: voce præterea sensúque priuatur, nihil audit, nihil respondet, respiratio nulla apparet, sed quasi mortuus decumbit. Pulsus est paruus, languidus, ac vehementer densus. Aluus & vrina detinentur, nõ quidem siccitatis ratione (plurimo enim humido ęger abundet) sed propter insensibilitatem. Differt à caro, quia vt in hoc palpebræ perpetuò clauduntur, sic in illa interdum apertæ manent. Victus ratio eadem est quæ lethargi. ægros enim similiter nutrire confert, interim diebus singulis, interim vno interposito. Pasio sanè hæc periculosa èst, si aut cibo aut potu erre-

Κατοχὴ, ἢ κατάληψις. Congelatio. Causa. Signa. Catochę discrimẽ à caro. Victus.

Curatio. tur. Huic etiam malo, præsertim si facies rubescit, & vires validæ fuerint, sanguinis missione securritur. Secãda autẽ in cubito vena exterior superiorve. Clysteribus etiã venter soluendus erit, aliáque omnia quæ de lethargi curatione suprà diximus, adhibenda.

DE APOPLEXIA. CAP. XVI.

Apoplexia quid. Apoplexia est, vbi patiente cõmuni neruorum principio, omnes corporis particulæ motum simul & sensum amiserunt. Vel est priuatio sensus & motus in vniuerso corpore, cum functionum à volũtatis imperio prodeuntium læsione subitò superueniens. Causa. Fit à fridigo, crasso, lentóque humore, ventriculos cerebri principalissimos vna vice & cumulatim replẽte, quẽ nimiæ cruditates ebrietatésq; frequentes potissimum procreãt. Fit etiam ob causam aut ictum, cerebrum concutientes, atq; vt illuc confluant humores efficientes. Aëris etiam frigidi occursu, qui cerebri humiditates & superuacua coarctat, & constringẽdo exprimit. Signa. Qui in hanc passionem incidunt, sensu omnino carentes, mortui viuunt. Quapropter clausis oculis instar dormientium decumbunt, atq; stertunt. Interrogati, nihil respondẽt. Si stimulenter, nihil sentiunt. Apoplexiæ magnitudo. Discernitur verò passionis magnitudo ex noxæ, quam spirationi infert, vehementia. vbi enim naturalem ordinẽ plurimum egreditur, magnam: vbi autem paulũ

impedimenti est, paruam in cerebro noxam esse coniicere oportet. Omnium vero pessima spiratio putanda est, quæ & intermittitur & magna cum violentia trahitur. Passio hæc nequaquàm, aut raro curatur. Neque enim temere ab Hippocrate dictũ est, Apoplexiã fortem soluere, impossibile: debilẽ vero, non facile. Qui eius discrimen effugerint, in diuturnam subinde passionem incidere solent, aut quibusdam mẽbris, aut vniuerso corpore resoluto, sæpe etiam ratione violata. Qui igitur quoquo modo curationem recipiũt, iis statim sanguis ex vtrisq; humerariis, modò plenitudo adsit, & virium robur, detrahẽdus est. Aluus deniq; clysteribus acribus ducendus, qualis est qui ℞ saluiæ, origani, betonicæ, rutæ, añ M i. calamenti, hyssopi, pulegii, añ M s. se. fœniculi, seseli (siler montanum nominant) ammi, añ ʒ iii, centaurii minoris M i. polypodii ʒ vi. agarici ʒ iii. medullæ colocynthidos ʒ ii. Decoquantur in aqua sufficiẽti, vsq; ad medietatis consumptionẽ. ℞ Colaturæ ℥ xiii. hieræ picræ, benedictæ laxatiuæ, añ ℥ s. eclegmatis Indi ʒ iii. mellis rosacei ℥ i. oleorum rutacei, costini, de castoreo añ ℥ i. salis gemmæ ʒ i s. misce, fiat clyster. Cõmendatur etiam vsus glandium (suppositoria nominant barbari) ex colocynthide, agarico, elleboro, & similibus confectarũ. vt, ℞ pulueris colocynthidos, agarici, el-

Curatio.

2. Aph. 42.

Clyster.

Glandes.

lebori, añ ℈ ii. salis gemmæ ℈ i. mellis cocti ℥ ii. fiant glandes longitudinis sex digitorũ, appenso filo vt ad arbitrium extrahi posṡint. Post hæc totum corpus oleo copioso calido inungendum. Extremis etiam corporis partibus ligaturæ, & frictiones vehementes, cũ decocto radicis iridis adhibendæ. Cucurbitulæ etiam humeris affigendæ. Caput deniq; prius rasum, irrigandum oleo anethino, rutaceo, aut eo in quo prius serpillum, aut calamintha decocta sit. Naribus admouenda ea quę odore suo excitant, vti est opopanax, castoreum, sagapenum, galbanúmq;. Sternutamentorum etiam ratio habenda erit, quæ ex struthii (cōdisi appellant) ellebori albi, & castorei puluere naribus indito constent. Embrocharũ etiam vsus conueniet, quæ ex chamæmeli, meliloti, saluiæ, pulegii, maioranę, origani, calaminthæ & satureiæ decocto cōficiētur. Sinapismis quoq; vtendũ (emplastra hodie rubrificantia vocāt) in hunc vel similē modum confectis. ℞ olei costini ℥ i. oleorũ castorei, euphorbii añ ʒ iii. sinapi ʒ ii. castorei ʒ i. sagapeni, euphorbii añ ʒ s. aceti ʒ i s. ceræ q. s. ad incrassandum: fiat emplastrum. Sartago præterea, vt docet Razes, calefacienda, & capiti calida admouenda. Oportet autem & ori per vim aperto digitum vel pennam oleo irino madefactam inferre, vt ea quę insunt eiiciantur. Cęterum sedes etiam iis quæ

Reuulsio.

Odoramenta.

Sternutamenta.

Embrochæ.

Emplastrum rubrificās.

Vomit⁹.

flatus educunt, ruta, cumino, nitro, & melle illinenda. Vbi paſsio ſe remiſerit, cibus mollis, diſtribui facilis, & ſucculẽtus aſſumetur. Si vox nondum redit, & vires permittunt, cucurbitulæ occipiti cum ſcarificatione affigãtur. Si fieri poſsit, etiam hypochondriis. AEgri deinde geſtabuntur curru, lectica, aut lecto penſili. Potus ſit hydromeli. Poſt vigeſimum primum diem, ægroti balneo credentur. Sed de reliqua curandi ratione in capite ſequenti plura. Victus.

DE RESOLVTIONE. CAP. XVII.

Paralyſis Grȩcè, Reſolutio latine, eſt, Galeno lib. 3. de Patiẽtib. loc. cap. 10. autore, vbi alterum latus, aut dextrum aut ſiniſtrum, ſenſum & motum amiſerit. Interdum etiam in vna duntaxat parte, manu ſcilicet, crure, lingua, accidit. Quum verò per reſolutionẽ interdum ſenſus duntaxat, interdũ motus, nõnunquam ambo ſimul pereant (cuius rei cauſam reddit Galenus lib. 1. de Symptomatum cauſis, cap. 4.) neruorũ reſolutio potiſsimum dicitur, vbi motus deperditus eſt. Generatur quidem à multis craſsis & viſcidis humoribus, neruos obſtruentibus, impedientibúsq; ne animalis facultas è principe parte ad mẽbra delabatur. Hac ratione refrigeratio ex niue, cõpreſsio neruoſorũ corporũ, reſolutionẽ efficere poſſunt. Ad eius paſsionis notitiam non opus eſt multis indiciis. ſi enim παράλυσις. Reſolutio. Cauſæ. Signa.

motu pars aliqua corporis destituitur, resolutione affectam esse nemo non videt. A qua verò causa factus sit morbus, partim ex ægri relatione, partim etiam ex notis suprà de dolore capitis ex pituitosis humorib. orto commemoratis, deprehẽdere licebit. Vict⁹ ratio in vniuersum atenuatoria sit, & siccans. Versetur igitur æger in aëre calido & sicco, primísque tribus dieb. tenuissimo vtatur victu. hoc est omnimodã inediam sustineat, aut solius melicrati exhibitione, aut ptisanæ succo pauco contentus sit. Dein cibi boni succi, & concoctum faciles, assíque exhibẽdi, auium potissimum carnes mõtanarum, & perdicũ, oua sorbilia, amygdalæ, & pineæ. Vtatur etiam fœniculo, petroselino, hyssopo, maiorana, saluia, & satureia. Vitet pisces, fructus, & omnia frigida & humida. Potus sit modicus sitímq; quàm possunt maximã sustineant. Bibant autem hydromeli, cui saluia aut cinnamomum admixtum sit. Aut vtãtur potione quæ hodie Hippocras nominatur, sic confecta. ℞ cinnamomi ℥ ii. zingiberis ℥ s. piperis longi, granorum paradisi, acori (galangã vocãt barbari) añ ℥ i. cardamomi ʒ i s. nucis mysticæ, gariophillorũ, maceris añ ʒ i. Decoquãtur in aquę fontanę ℔. vi. quoad quarta pars, hoc est ℔ i s. fuerit absumpta. Refrigerata colentur & exprimãtur, ac saccharí ℔. s. dulcescat liquor colatus, & fiat po

Victus.

Hippocras.

tio. Vino nõ vtatur, donec morb⁹ ex integro deficiat. aut si fieri vix possit, vt tanto tẽpore æger vini potione careat, detur quidẽ, at nõ nisi modicũ aquosũmq;, & in morbi inclinatione. Mot⁹ & exercitiũ, si iis vti poterit, summè cõferũt. Somnum fugiat diurnũ, nocturnus sit mediocris. Gaudeat & animi perturbationes euitet. Curandi ratio, si iusserit ętas, habitus corporis, tẽpus anni, & similia, à sanguinis missione auspicetur, potissimũ si plenitudinis signa affuerint. Oportet tamẽ ablationem esse moderatam, ne corpus refrigeretur, sanguísq; à partibus incolumioribus auferẽdus. Quibusdã verò dieb. post sanguinis missionẽ trãsactis, aluus primò clysterib. irritetur huiusmodi aut similibus. ℞ Maluę, althææ, mercurialis, camomillę, saluię, betonicæ M I. stœchadis arabicæ ℥ I. rutæ, calaminthæ, añ M s. se. fœniculi ʒ iii. Decoquãtur in aqua, quoad tertia pars absumatur. ℞ colaturæ ℔. I. benedictæ laxatiuæ ℥ s. electu. Indi ʒ iii. mellis rosacei ℥ s. oleorũ laurini, irini, rutacei, añ ℥ i. salis ʒ I s. misce, fiat enema. Dein decocta & syrupos, pituitosos humores ad expulsionem præparantes, exhibebis, quorum copia suprà cap. octauo habetur. Præparatis ad eductionem humoribus, quę illos euacuent, propinanda medicamenta erunt: qualia sunt, præter ea quæ cap. iam citato cõmemorauimus, pilulæ azaiaret, arabicæ, fœ-

Curatio.

Clyster.

Pręparatio humorum.

Purgatio

tidæ, quibus nunquam non agaricum admiſcendum erit. Non autē ſemel, ſed iterum atque iterum purgandi ſunt ægri, diebus quatuor vel quinque interpoſitis. Poſt purgationes verò, theriaca & Mithridati antidot⁹ vtiliſsima eſt. Poſt totius corporis euacuationē, ſternutamentis, apophlegmatiſmis, gargariſmis, odoramētis, & aliis cap. octauo productis vtendū. Capiti denique, vnde totius morbi radix exoritur, calida medicamenta illinenda erunt: vt ſunt caſtorium, peucedani radix, menta, baccæ lauri, irino oleo, cui parū aceti adiectū ſit, incocta. Quòd ſi itaq; aëris ambientis frigiditas non impediat, caput radatur, totúmque vſq; ad frontem inūgatur. Ceterū ea etiam quæ diſcutiunt medicamenta, iis locis vnde nerui ad patientem partem ſenſum aut motum, vel vtrunq; deferentes oriuntur, admouenda erūt, quemadmodū Galenus lib. 3. de Affec. lo. cap. 10. elegāti hiſtoria de Pauſania ſophiſta docet. A leuioribus verò ſemper auſpicandū, nēpe ab oleo chamæmelino, anethino de ſpica, liliaceo, & irino, quibus etiam membra ipſa affecta fouenda ſunt: quæ etiam hoc nomine vt calefiant, linteis, aut pelle vulpina, & ſimilib. operienda erunt. Aut cum decocto ſaluiæ, maioranæ chamæmeli, hyperici, ſtœchadis & roſmarini fouenda. Progrediendum deinceps ad valentiora, oleum coſtinum, vulpinum, ruta-

Capitis purgatio.

Diſcutiētia.

ceum, laurinum, de vermibus, de castoreo, de laterib. (quod etiã philosophorum nominãt) & de euphorbio. Quib⁹ interdũ adiiciũtur vnguenta Agrippæ, marciatôn, arragôn: & alia medicamenta simplicia calida, vt est betonica, saluia, rosmarini flores, radix acori (galangam nominant) verbasculum odoratum (herbam paralysis vocant) ruta, calamintha, pyrethrum, piper, castoreum, & euphorbiũ, in hunc aut similem modum. ℞ vnguentorũ arragôn, marciatôn añ ℥ i. vnguenti Agrippæ ℥ s. oleorum costini, vulpini añ ʒ v. olei de vermib. ℥ s. olei de castoreo ʒ i s. pulueris betonicæ, piperis, saluiæ añ ℈ i. castorei euphorbii añ ℈ s. radicis galangę ℈ ii. ceræ quod sufficit. fiat vnguẽtum. Vel sic. ℞ oleorum costini ℥ ii. de piperib⁹ ℥ i s. olei de euphorbio ʒ ii. vini sublimati (aquam vitæ aliàs vocant) ℥ ii s. succorũ saluiæ, verbasculi odorati, hoc est herbæ paralysis, añ ℥ i s. radicis galãgæ ʒ iii. stœcbadis arabicæ, florum rosmarini, añ ʒ ii. pyrethri, piperis, añ ʒ i. euphorbii ʒ s. Contundantur contundenda, & omnia simul quoad vinum & succi absumãtur, decoquantur. Dein exprimantur olea, & addatur ceræ quod sufficit, fiat vnguentum molle in modum linimenti. Eadem etiam ratione emplastra cõponi possunt, in eũ vel similẽ modum. ℞ Baccarum lauri, pyrethri, piperis añ ʒ ii. galangæ ʒ i, stœchadis arabi-

Vnguentum.

Aliud.

Emplastrum.

cæ, betonicę, sambuci, añ ʒ i s. sinapi, nigellę, añ ʒ 1. euphorbii, castorei, añ ℈ 1. olei costini ℥ 1 s. olei de piperibus ℥ 1. olei de euphorbio ʒ. iii. cum cera & resina, quod satis est, fiat emplastrum. Porrò mēbris affectis cucurbitulæ sunt applicandæ, citra tamen scarificationem. Et si cucurbitulis idonea nō fuerint, vincinis imponendæ. Post cucurbitulas prædictis vnguētis & linimētis, sic tamē vt prius fricentur membra affecta, vtendum. Neque paruam vtilitatem præstabit laconicum: & si haberi possunt, thermę sulphureæ, aluminosæ, & salsuginosæ supra modū cōferent: quales sunt in Germania nostra Badeniæ, Ferinę iuxta syluam Martianam, & Cellenses. quas, gestatiōes in curru, vehiculo, aut lectica pręcedere debent.

Cucurbitulæ.

Balneū.

DE MORBO COMITIALI.

CAP. XVIII.

Epilepsia Græcis dicta est hæc passio, ꝙ nimirum sensum capitis, atque mentem pariter apprehendat. Comitialis autem, quòd hac passione correpti, in comitiis maxime manifestabantur, comitiáq;, quo die aliquis concidisset, interrumpebātur. Est autem, Galeno lib. 3. de Patientib. loc. cap. 5. teste, conuulsio omnium corporis partium, non perpetua, sed quæ ex tēporum accidit interuallis, cum mentis ac sensuum oblęsione. Gignitur hæc passio trifariàm. Primùm, vbi cere-

ἐπιληψία.

Comitialis morbus.

Causæ.

brum primogenia paſsione patitur. id quod fit, vbi craſſus viſcoſúſque pituitæ vel atræ bilis humor ſpiritus meatũ in cerebri ventriculis obſtruit, neruorũ principio ſeipſum quatiente, quò excutiat id quod noxium eſt. A craſſo autem humore hanc paſsionem induci, argumento eſt, quod & ſubitò fit, & ſoluitur confeſtim. Secundò fit per cõſenſum oris vẽtriculi male affecti, dum ſcilicet cerebrum excutere nititur, quicquid ad illud à ſtomacho eleuatur. Sic Galenus lib. 5. Cap. 5. de Patientib. locis, Grammaticũ quẽdam iuuenem fuiſſe ſcribit, qui quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, comitiali paſsione corripiebatur: ídque non alia ratione, q̃ quod os vẽtriculi, vtpote quod facilè ſentiebat, pateretur: ac deinde per cõſenſum & totum cerebrũ, & corpus vniuerſum conuulſione concutiebatur. Tertiò fit, ſed raro, cum à parte aliqua veluti quædam frigida aura ſentiente ægro ad cerebrum vſque aſcendit. Hoc genus paſsionis comitialis, Galenus lib. 3. de patientib. loc. cap. 7. ſcribit ſe vidiſſe in puero, qui tertiumdecimum ætatis annum agebat. Cum enim adoleſcens etiamdum cum optimis eius tempeſtatis medicis conueniſſet, ad idoneam inueniendam curationem, audiuit tum narrante puero, affectum ipſum à crure initiũ capere, mox illinc rectà aſcendere per

femur, & imminentes illi lumbos, ac per latera ad ceruicem, donec ad cerebrũ perueniret. quod cum primum tãgeret, ipsum haudquaquam sibi constare. Præcedit hãc paßionem corporis animíq; status minime volũtarius, tristitia, eorum quæ perceperũt obliuio, turbulentæ insomniorum imagines, capitis dolor, eiúsq; repletio continua, iracũdia, pallor faciei, & linguæ inordinatus motus. Quum primùm inuaserit malum, ægri concidunt, conuelluntúrq;, stertunt, ac vociferantur interdum. Nonnulli tremunt, atque circumagũtur. Sed peculiaris admodum morbi nota est oris spuma. Non desunt etiam, quibus vrina & stercus præter voluntatem excernitur, nonnullis & genitura. Quibus ab ore ventriculi vitiũ oritur, palpitatio ipsius præcedit, turbatio & erosio. Ex inedia seu cibo tardius assumpto, excandescunt, & affliguntur. Occupat hoc paßionis genus maximè pueros, eósq; adhuc paruulos, quòd videlicet humidiore cerebri tẽperamẽto præditi sint: quam ob causã Pædicos, hoc est infantilis seu puerilis morbus nominatur. In quibus acutißisima est paßio, statim iugulat, & crebris acceßionibus, & symptomatũ vehemẽtia. Plerísque autẽ longa esse solet. Nã si non pubertate, vel mẽstruorũ initio, vel puerperio solutus fuerit, sępe vsq; ad mortis diem prorogatur, nisi congruam medici curationem fuerit

Signa.

Puer cur paßione comitiali corripiantu. παιδικός. 5. Aph. 7

aſſecutus. Ratio victus vtilis eſt, quæ incidit, & extenuat. Aëris itaque conſtitutio, in quo æger verſetur, ſit calida & ſicca, potiſsimũ ſi à pituitoſo oriatur humore. Caparis eſus mirificè prodeſt. Fugere oportet carnes omnes, præter auium montanarũ, legumina, piſces, & vinum, præſertim antiquum craſſum & copioſum. pro quo bibat hydromeli, aut vinũ aquoſum & dilutũ. Exercitia proſunt, & frictiones, ſed capiti poſt omnes reliquas corporis partes adhibitæ. In balneo mora diuturna obeſt. Deuitet coitũ liberaliorem, moderatus autem prodeſt. Somnus ſit nocturn⁹ & mediocris, caueat impenſè diurnũ. Fugiat ſinapi, allia, cepas, & eiuſmodi, potũ ſtatim à balneo, potiſsimum vini meracioris. Si infans ægrotus fuerit, non admodum medicamentorum præſidiis ſubuenire ſtudebimus. nam ætate ad calidiorem ſicciorémque ſtatum vergente, & victu moderatiore, ſua ſpõte plerũque morbus finitur, Hippocrate quidem teſte, qui ſic ſcriptum reliquit: Quicunque iuuenes paſsione comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberãtur. Proinde ſolius nutricis ratio habenda erit, ac lac illius emendandum, vtq; calidius & ſubtilius efficiatur conandũ. Quàpropter nutrix boni ſucci cibis vtatur, ante cibum exerceatur, coitum vitet: à viri ſiquidem conſuetudine lac

Victus.

Curatio infantiũ.

2. Aph. 45. ,,

odoris gratiam in deterius mutat, & humidius efficitur, ac menstrua eliciuntur: & præscripta paulò antè victus ratiõe vtatur. Capita tamen infantium assiduè oleo anethino & irino inungenda, neque vnquam vel calida aqua frigida vel lauanda, multo minus tota immergenda, madefaciẽdáque. Dato etiam ad elingẽdum mel despumatum, ac collo suspẽdito radicem pæoniæ viridem. Qui post annos pueriles in paßionem hanc prolabuntur, eorum partes cõuulsæ ac distractæ inungi, irrigari, & in rectum dirigi debent. Deinde os aperiendum, cuneúsque dẽtibus interponendus, ac penna oleo irino illita, pituitę extrahendæ gratia, vomitus prouocandus. Odoramentis etiam sensum excitare conuenit, peucedano videlicet, ruta, & bitumine. Perseuerante exacerbatione, medicus audacter & violenter illorum maxillas distrahat, infundátque in os castoreum cũ oxymelite. Clysterem etiam acrem excitatis iam inijcere oportet. Qui conualescunt, viribus antea recreatis, hiera Galeni, aut ex colocynthide purgandi sunt. Hęc sauè noui & acuti morbi comitialis curatio est. deinceps quomodo inueterato succurratur, trademus. Oportet ægros diu aquã bibere, atq; initio curationis, nisi quid prohibeat, sanguinẽ ex vena poplitis mittere. Interpositis quatuor aut quinque diebus corpus reficere, ac medicamẽta exte-

Curatio adultorum.

Curatio comitialis inueterati.

Præparatio.

nuãtia propinare expedit, ſyrupũ de abſinthio, de hyſſopo, de ſtœchade, oxymeli ſcylliticum, decoctum hyſſopi, radicis pæoniæ, & alia quæ ſuprà Cap. 8. cõmemorauimus. Dein purgantibus medicamentis vacuandi ſunt, nempe pilulis cocciis, de agarico, & ſimilib. loco iã citato productis: idq; ſi pituitoſo humore paſsio orta fuerit, faciendum. Si verò ab atra bile cœperit, ea quæ humorẽ hunc vacuare poſſunt, exhibẽda, quæ in cap. de Melancholia recẽſebuntur. Vbi ſatis purgatus eſt æger, ad balneum ducendus. Tertio die hypochondriis & ſcapulis cucurbitulæ cum ſcarificatione affigendæ ſunt: tũ quibuſdam diebus corpore reficiendo interpoſitis, rurſus hiera Galeni purgandus erit. Poſtea capiti & occipitio cucurbitulæ admouendæ. Sequenti die panis in mulſa coctus, additis amygdalis amaris, aut ſerpyllo, aut calamintha, aut menta, aut ruta, cataplaſmatis inſtar capiti applicãdus. Atq; id tribus dieb. efficies. Mox caput deraſis capillis, peucedani ſucco in aceto diluto, in quo ſerpillũ aut iris incocta ſit, perungendum. Rurſus interea corpore recreato, purgandus æger erit. Quo peracto, ſternutatoria, apophlegmatiſmos, & ea quæ per nares purgãt, adhibebis. Tempore interpoſito, ſi neceſſe videbitur, clyſtere aluus eluenda erit. Tandẽ vnguenta, linimenta, & emplaſtra, quibus diſcutien- Diſcutiẽtia medicamenta.

di vis inest, applicanda: quorum in præcedéti cap. mentio facta est. Quędam deniq; sunt medicamenta, quæ naturæ quadam proprietate comitiali morbo aduersantur: vt est radix pæoniæ, visc⁹ quercinus, cornu ceruinũ, ossa humana cõbusta, & alia multa, quæ recẽsentur à recentioribus. Si verò ob pasionem primariam stomachi pasio comitialis contingat, solicitudo habenda est, vt ęger probè concoquat. Panis igitur diligenter confectus ex vino antiquo tenui & albo, cũ aliquo eorum quæ leniter adstringũt temperato, circa horam tertiam diei assumẽdus. Item hieram picram bis térve singulis annis dare expedit, vt copiosè cum de stomachi morbis agetur, dicemus. Vbi autem ex particula quadã hæc pasio inuadere percipitur, siue ea manus, siue pes fuerit, fune excipi debet quę superposita est. Cum remittit, peracta totius corporis inanitione, prius inunctionibus excalfacere corpus oportet: deinde medicamenta quæ rarefaciunt, & malam temperaturã partis, vnde malum oritur, emendãt, apponẽda. Succedente etiam tempore sinapismis locus irritandus erit. Post quæ theriaca, & naturalia balnea locum obtinent.

Curatio epilepsię ex stomachi vitio.

Si à particula quadã oritur morbus.

DE INCVBO. CAP. XIX.

ἐφιάλτης. Incubus.

Ephialtes Græcis pasio, quam Latini Incubum & incubonem nominant, vbi aliquis noctu se grandi mole opprimi, inua-

díque ab alio credit. Fit id vitii ex crapula, & continua ventriculi cruditate, vnde vapores crassi & frigidi eleuati, cerebri ventriculos replent, prohibẽtes facultates cerebri per neruos diffundi. Comitantur eo detentos difficilis mot⁹, torpidus in somno sensus, suffocationis imaginatio, & veluti ingruentis alicuius occupatio. Ad hęc vox supprimitur, aut incerta indiscretáq; editur. Quidam ita inanibus imaginibus afficiũtur, vt in se grassatos audire credãt. Cum plurima tandẽ anxietate attenuato spiritu & discusso, atq; apertis meatibus, repente excitantur. Occurrendum igitur huic malo per initia. Nã perseuerans, & asiduè inuadẽs, grauius aliquod malum, vt apoplexiã, morbum comitialem, aut maniã prænũciat ac inducit, crasso humore in ventriculis cerebri sensim collecto. Victus itaq; sit tenuis, & qui flatus minime generet. Vino nõ vtatur, nisi aquoso. Somnum fugiat diurnũ, nec statim à comestione cubitum eat: atque vt summatim dicam, totus victus talis sit, qualis est eorum qui comitiali morbo laborant. Curãdi ratio, si plenitudo fuerit, totius corporis à sanguinis detractione auspicãda. Cubiti autẽ vena exterior secãda est. Sin cacochymia affuerit, purgationibus corpus vacuãdũ. Si tamẽ pituita redũdet, humores extenuãtibus medicamẽtis ad purgationẽ pręparãdi sunt. Purgato corpore

Signa.

Victus.

Curatio.

Localia. localia adhibere medicamenta oportet, vt in præcedentibus monstratũ est. Succurrit eisdẽ semen pæoniæ nigrũ. Dãda verò sunt potui grana quindecim, trita ex aqua. Caput etiã fouendum anethino oleo calido, & pileo tegendum, dum cubitum eũt. Intra corpus exhibenda, quæ caput corroborant, aromaticũ rosaceum, diamoschi dulcis confectio, plirisarcoticon, diambræ, dianthos, & eiusmodi.

DE MELANCHOLIA. CAP. XX.

Melãcholia quid. Melancholia mẽtis est alienatio, seu desipientia, sine febre. Fit interdum quidẽ vniuerso in venis sanguine melãcholico effecto, ob communem sanè vitium, cerebro quoq; ipso simul læso. Nõnunquam verò, quãdo reliqui corporis sanguinis prorsus innocuus est, solus autem is qui in cerebro contentus est, alteratur. ídque bifariam cõtingit. Aut enim aliũde in ipsum deriuatur, aut in ipsomet genita est, quum videlicet internus calor aut flauam bilem, aut crassum atrúmque sanguinẽ superassauit. Interdum etiam ob inflammata & malè affecta circa ventriculum hypochondria prouenit, quæ modò auram quandã maligniorem, modò substãtiæ humoris partem ad cerebrum sursum transmittunt. Quemadmodum enim aliqui frequẽter eleuata à ventriculo fuliginosa quadam aut fumosa exhalatione, aut omnino crasso vapore quidpiã suffusioni simile præ oculis obiici sentiũt: sic

Causa.

ascendente ad cerebrum melancholica exhalatione, tanquam fuligine aut fumo, melancholica symptomata circa mentem accidũt. Atque adeò tres sunt in vniuersum melãcholiæ species. Vna, quando totum corpus melancholico sanguine abundat: Altera, quãdo idem cerebrum ipsum solũ occupat: Tertia, quando hypochõdria ipsa primò male affecta, in consensum cerebrum ducunt: & hæc melancholiæ species hypochondriaca & statuosa dicitur. Cõmunia omniũ signa sunt, metus, tristitia, odium, & auersio hominum, iuxta hoc Hippocraticũ: Si timor atq; mœstitia longo tẽpore habentes perseuerent, ex eo, atra bilis significatur. Item alii se credunt animalia bruta esse, & voces ipsorum imitantur. Sic Galen. lib. 3. cap. 6. de patientibus locis scribit fuisse quendam, qui se gallum esse putauit: ideóque gallos cantare audiens, vt hi alarum, sic ille brachiorum plausu latera quatiens, gallorum sonum imitatus est. Alii vasa fictilia & testas se esse arbitrantur, atque idcirco obuiantibus, ne collidantur, cedunt. Hi mortem expetunt, illi eandẽ expauescũt. Nonnulli semper ridẽt, Democritũq; agunt: aliqui Heraclitũ, semper plorãtes. Alii putãt se numine afflatos esse, & vaticinantur futura. Peculiares autem notæ illorum hæ sunt. Qui ex totius corporis consensu melancholia laborant, iis gracilis corporis habitus, ni-

Tres melãcholiæ species.

Signa cõmunia.

6, Aph. 23.

Melãcholicorũ variæ imagines.

Signa peculiaria.

ger, hirſutus, & ex toto melãcholicus, vel natura, vel ex acquiſito per ſolicitudines quaſdam, aut vigilias, aut prauorum ciborũ eſus, aut hęmorrhoidum, aut menſtruorũ ſuppreſſionem. At qui ex hypochondriis vitiũ contraxerũt, eos ſanè cruditates, acidi ructus, ardor, hypochondriorũ grauitas arguunt: hypochondria quoq; ſurſum conuelluntur, & nonnunquam inflammatione conflictãtur, ídq; potiſsimum circa mali exordiũ. Deinde vbi idipſum accreuerit, atræ bilis comitãtur ſymptomata, quę vtiq; cõcoctione, vel excretione, vel multis flatibus, vel vomitu, vel ructu leuãtur. Quũ verò nullũ ex iis, aut certè pauca circa ventriculũ eueniũt, melãcholica quæ apparent ſigna cerebrũ per ſe & primaria paſsione vexari, atræq; bilis humore affici declarãt. Hi autẽ inter cętera, vnam aliquã rem fixis ac intentis in eã prorſus oculis, diu tius intuentur. Victus ratio talis ſit, quæ atram bilem minime procreet: quapropter in aëre verſetur calido & humido. Cibis veſcatur boni ſucci, humidis & tẽperatis, pane in clibano cocto ac probè cõfecto, carnibus caponum, gallinarum, perdicum, phaſianorũ, piſcibus ſaxatilibus & eiuſmodi. Vitet cibos qui melancholicum efficiũt humorem, quos diffuſè Galen. lib. 3. de patientib. loc. cap. 6. cõmemorat. Vinum bibat tenue, albũ, neq; valde antiquum: craſſum verò & nigrum vi-

Victus.

tet. Exercitium sit mediocre, equitatio aut deambulatio per loca amœna & viridia, aut nauigatio. Balneo aquæ dulcis, quo se vno præsidio cũ victu humido, Galenus morbũ hũc vbi nondũ in longũ esset protractus, curasse scribit, frequenter vtatur. Somnus illi supra modũ confert, veluti etiam coitus, at moderatus. Gaudeat & lætetur, in hócque habeat qui cãtu aut aliis musicis instrumentis hilaritatem excitent. Vbi vniuersum corpus sanguine melancholico abundauerit, curandi rationem à venæ sectione auspicari oportet. Secanda autem est, Galeno loco iam citato teste, cubiti vena: præcipuè autem media, quæ scilicet communis est & ei quæ humeraria nominatur, & ei quę per axillam ad manum fertur, iecoriáque dicitur. Vbi verò solum cerebrum sanguinem melãcholicum continet, ęger sanguinis detractione non indiget, nisi fortè multum sanguinis sit, ac præseruationis gratia venam incidamus. Quum itaque ex primaria cerebri passione melancholici ęfficiuntur, frequentibus balneis, victu boni succi, & humido, & minime flatuoso, vnà cum decenti animi delectatione, sine alio potentiori remedio curandi sunt. cum humor qui molestat, nondum ob temporis lõgitudinem vt excernatur contumax est. Si enim malũ aliquãdiu durauerit, tũ valẽtiora magisq; varia medicaméta adhibere

Curatio.

oportet. Siue igitur ex totius corporis cõsortio, facta prius, vt diximus, sanguinis detractione: siue solius cerebri primario affectu melancholia orta fuerit, medicamenta quæ per inferna purgãt, exhibere oportet. Interpositis tamẽ aliquot à venę sectione diebus, hoc decoctum in aurora bibat, quod ℞ Florum boraginis, buglossę, violarum M I. passularum mundatarum ℥ I. hemionitidos (scolopendriam vocãt) M I. fumiterræ M S. corticũ radicum capparũ, tamaricis, añ. ʒ iii. radicũ fœniculi, petroselini, glycyrhizæ añ ʒ I. thymi, epithymi añ ʒ S. Decoquantur singula in ℔ iii. aquæ, donec tertia pars absumatur: dein colentur, atque saccharo sufficienti dulcescat colatura, & adiiciantur syrupi de fumoterræ, syrupi de epithymo añ ℥ ii. & fiat potio. In eundem vsum hodie exhibent syrupũ violaceum, de buglossa, adiectis aquis scolopendriæ, lupi salictarii, intybi domestici (endiuiam appellant) & buglossi. Ego tamen aquarũ distillatarũ & ignis cõmertio expressarum vsum, vẽtriculo potissimùm, noxium esse arbitror. atque adeò multo consultiùs esse puto, vt prædictarum herbarum decoctis vtamur, ac syrupis in hunc modũ admisceamus. ℞ Syrupi de buglosso ℥ I. syrupi de epithymo ℥ S. decocti scolopendriæ, fumiterræ & endiuię ℥ iii. misce, fiat potio. Post hęc corpus purgetur eclegmate hamech appellato,

Decoctũ præparans.

& diasenæ: catapotiis Indis, de lapide armenio, & similibus. Proderit autē hoc decocto purgante vti. ℞ Florū buglossi (boraginē hodie appellant) florum violarum & rosarū añ M I. passularū mundatarum, tamarindorū añ ℥ I. myrobalanorū cęruleorum (indos vocāt) luteorū (citrinos nominant) empeliticorum, beletzicorū añ ℥ s. foliculorū senæ, polypodii añ ʒ vi. prunorū damascenorū numero x. Coquātur in aqua sufficienti, ad tertias. dein coletur, & saccharo dulcescat colatura, & de ea exhibeantur ℥ iiii. In quibus, si non satis purget, licebit dissoluere ʒ ii. eclegmatis diasenę Mirificè etiam cōferet dilutum epithymi, in eum modum compositum. ℞ Epithymi ℥ s. maceretur in ℥ iiii. seri caprini, horis 24. dein validè exprimatur & coletur, atque in aurora propinetur. Et hoc, quod ℞ Foliorū senæ ℥ ii. prunorum damascenorum numero xii. Contundantur & macerentur in sero caprino horis viginti quatuor: deinde exprimantur & colentur, vt suprà. Licebit & hoc puluere vti, q ℞ epithymi ℥ s. lapidis armenii, agarici añ ʒ ii. scāmoniæ præparatæ ʒ I. gariophyllorum numero xx. Redigātur singula in puluerem, & detur singulis septimanis ʒ I. vel ʒ I s. Neq; temerè etiā quis à purgatione interiectis quibusdam diebus clysteribus vtetur, vt qui à capite auertere possint. ℞ Fumiterræ, lupi salictarii, thymi añ M I.

Decoctū purgās.

Dilutum epithymi.

Dilutum foliorum senæ.

Puluis.

Clyster.

epithymi M s. fenæ polypodii añ ʒ vi. cartami ℥ s. feminũ anisi, fœniculi, ammi, cumini, añ ʒ ii. Coquãtur vsq; ad tertias. ℞ colaturæ ℔ i. Casię fistularis recẽs extractæ ℥ i. eclegmatis diasenę ℥ s. oleorũ, violacei, camomillę añ ℥ i s. salis cõmunis ʒ i s. misce, fiat clyster. Porrò si hæmorrhoidibus aut mensibus suppresis malum fuerit cõcitatum, horũ quoq; purgationem moliemur, Hippocrate sic pręcipiente. ait enim, Atra bile vexatis, hæmorrhoides superuenientes, bonum. Et rursum, Insaniẽtibus si varices vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio. Cęterũ danda etiam sunt medicamenta, quæ lætitiã pariũt, atque vires reficiunt: vt sunt cõseruæ buglossi seu boraginis, intybi domestici, violarum, lætificans Galeni vocatum, dianthos, & similia. Nulla denique ratione, vt antea quoque monuimus, balneorum dulcis aquæ vsus negligendus. Embrochæ etiam, quæ caput humectare possunt, adhibeantur. ℞ Maluæ, althææ, violarũ añ M i s. camomillæ, stœchadis arabicæ añ M i. florũ nymphææ M s. se. lactucæ ʒ i. Bulliãt in aqua sufficiẽti, & fiat embrocha, quæ raso capiti admoueatur. In hũc etiam vsum conuenient inunctiones ex oleo violaceo, nymphæę, & similib⁹. Studiosè deniq; annitẽdum, vt imaginationes peruersæ & immẽsa mœstitia, quacunque fieri potest ratione, propulsentur. In hunc sanè modum

[Margin notes: 6. Aph. 11. — 6. Aph. 21. — Corroborantia. — Balnea. — Embrocha.]

Alexāder Trallianus lib. 1. cap. 22. mulierem quandam sanitati restituit: quæ melancholię malo correpta, inter dormiēdum anguem se deglutisse putabat. Ciens enim ei vomitum, anguem extinctū pelui, qua vomitionē excipiebat, clandestinè inseruit: quem simul atq; conspexisset melancholica, euomisse rata, omnem suspicionē falsam posuit, & salua euasit. Præterea si ob hypochondriorum offensionem passio constiterit, & horum habenda solicitudo erit. Fouebuntur itaque rutæ, anethi, absinthii, pulegii, agni seminis, baccarū lauri, & similiū decocto. Hæc etenim dolores quoque leniunt, & discutiunt flatus, potissimùm si oleo incocta affectæ parti cataplasmatis instar applicantur. Pręter hęc tamē cataplasmatis insint etiam ea, quæ flatibus discutiendis conducunt, nempe apium, anisum, cuminum, vel ligusticū, leuisticum vocant. Cum hęc admoues, longo tempore per diem & pasto & ieiuno adhærere sines. Vbi ademeris, aliud quoddā operimentū superaccōmodato, lanam scilicet latiorem. Cucurbitulis etiam ad flatus digerendos leuibus, hoc est, citra scarificationem vtitor. Videbitur enim cibi præsidium hoc, Galeno lib. 12. Ther. meth. autore, in huiusmodi affectu incantamenti cuiuspiam simile quid efficere. illico enī cucurbita admota, qui spiritu flatuoso cruciantur, tū à dolore liberi, tū omnino

Historia.

Hypochōdriacę melancholiæ Curatio.

ſani reddũtur. Porrò ad dolores inflammationésque, cum ſcarificatione. Quibus vitiũ inueterauerit, præſentiſsimum eſt remedium per vomitum purgatio. Non tamen validis vomitoriis vtẽdum: talia enim infeſta ſunt, ſtomachóque anxietatem afferunt. Concitetur igitur vomitus cum aqua tepida, cui oxymeli ſit admixtum. Quòd ſi tamen neq; hoc modo poſſunt euomere ægri, digitos aut pẽnas demittendo irritare oportet. Proderit autem iis vnicè vomitus, qui per elleborum album fit, in hũc modum. ℞ Ellebori albi ʒ i. cõcidatur in minutas particulas, & raphano ſatis magno indatur. trãſactis tribus diebus iterum eximatur, raphanúsq; fortiter exprimatur. dein accipe ſucci ex raphano expreſſi ʒ vi. aquæ calidæ ℥ iiii. oxymelitis ℥ i. & totum calidum ægro propinato. Vel in hunc, qui ℞ ellebori albi optimi ʒ iii. & raphano prius perforato inſerãtur infigantúrve, ac ibi noctem vnam integram dimittantur. Poſtridie vbi in raphanum vires ellebori migrauerint, amoto elleboro raphanus in minutas partes diſſectus, in oxymelite exhibeatur, diligenter cauẽdo, ne ellebori quidpiam in raphano relinquatur.

Vomitus vt concitandus.

DE CONVVLSIONE. CAP. XXI.

Spaſmos Græcè, conuulſio Latinè, eſt, vbi nerui atq; muſculi præter voluntatẽ conuelluntur, in eámq; diſpoſitionẽ veniunt, quam

σπασμός

etiam in motibus secũdum arbitrium factis assumpserunt. Vel breuius, vt definit Galen. lib. 2. de Symp. causis cap. 2. cõuulsio est, quę neruos musculósque ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate, quũ naturalem habitum seruarent, ducebãtur. Eius autẽ tres sunt species. Tetanos, quum ceruix vnà cum reliquo corpore immobilis manet, & in neutrã partem inflectitur, sed iuxtà in vtranque partem recta intenditur. latini vocant distensionem, Celsus rigorem. Emprosthotonos, quũ caput, ceruix, reliquũq; corpus in pectus cõtrahitur: latinè tensio ad anteriora dici potest. opisthotonos, quando caput in scopulas conuellitur: latinis tensio ad posteriora appellari potest. Hippocrates conuulsionis duas dúntaxat esse causas statuit, repletionem nimirum, & inanitionẽ neruosorum corporũ. Sicuti enim in exterioribus videmus lora & chordas extẽdi, vbi aut multa madent humiditate, aut vehementiùs exiccantur: sic & in corporib⁹ animalium, par est non raro fieri conuulsionem. Animaduertendum autem, hic Hippocratẽ loqui de conuulsione ea quæ primò fit, aut, vt apertiùs dicam, quæ propria passio est. Fit enim conuulsio etiam per consensum, quum scilicet aliquid à parte primò patiẽte ad cerebrũ ipsum effertur, quod vt à se expellat, huiuscemodi motu cõcutitur. Iuniores medici barbarã se-

τέτανος

ἐμπροσθότονος.

ὀπισθότονος.

6. Aph. 39.

Connulsio per consensum.

Spaſmus non proportionatus ad materiã. ctantes medicinam, ſpaſmũ non proportionatum ad materiã nominant: quia ſcilicet nõ accidat ob materiã, quæ implere aut inanire partes neruoſas poſſit: ſed à qualitate quadam, alteratis per continuationem partibus: aut ſubſtãtia, vel ſpiritali veluti aura vel fluida ad neruorum principium delata, ſicut cõtingit in iis qui à ſcorpione aut alia fera venenata icti ſunt.

Signa. Quando aliquem ſanũ repentè Galeno.2.Aph.cõm.26.teſte, aut non multò poſteà à morbi initio conuulſio corripit, à repletiõe fieri neceſſe eſt. Vbi verò poſt plurimos ſudores, aut vomitũ, aut deiectiões alui, aut ſanguinis eruptiões, aut vigilias, aut famem, aut motus tum multos tũ vehementes ſubſequitur, inanitio in cauſa eſt. Conuulſio per conſenſum facile ex ægri relatione dignoſcitur.

Victus. Victus ratio in conuulſione quæ fit à repletione, eadem eſt huic quę in reſolutione, calida nempe & ſicca. In ea verò quæ ab inanitione fit, humida ſit oportet. Nutriẽdi enim ſunt ſorbitionibus & iuribus pinguibus, & carnibus concoctu facilibus & probè nutrientibus. Vino vtãtur tenui & inaquoſo, quod facile per omnia corporis mẽbra diſtribuitur: niſi febris affuerit. tunc enim ptiſanæ cremor vtilis erit. Somnꝰ etiam accerſendus erit. & victus in vniuerſum talis ſit, qualis eſt eorum qui hectica laborant febri.

Curatio conuul- Curatio conuulſionis à repletione ortæ, à ſanguinis

ſione auſpicãda, modò nihil adſit quod eandem fieri probibeat. Liberaliter autem ſanguinem auferre conuenit, modò non confertim id fiat, ſed pluribus vicibus. Detrahẽdus autẽ ſanguis ex cubiti vena media. Dein clyſtere acri, ſi ita viſum fuerit, aluus eluenda. Partes autem quæ conuelluntur, valenter cõtinendæ ſunt, & inordinatis motibus reſiſtẽdum. oleo quoque rutaceo aut irino, aut alio quodam ex hoc genere perfricandæ: aut lanis oleis eiuſmodi imbutis contegendæ Vel veſicam latã calido oleo repletam, ſuperimponere oportet. Si verò à pituitoſis humoribus conuulſio euenerit, ii primum omnium extenuandi & incidendi, vtque idonei ſint ad expulſionem, præparandi: præparati, medicamentis in capitibus de Reſolutione & morbo comitiali dictis euacuandi. Cucurbitulas etiam cum ſcarificatione admouere prodeſt: leues enim lædunt. ſi quidem crura contrahantur, coxis, & poſtremæ vertebræ: ſi manus conuellantur, dorſo, & primæ ipſius vertebræ, tum ei quæ humeros ſuperiacet. Caput pręterea apophlegmatiſmis, gargariſmis, & ſimilibus medicamentis purgandum. Procedente tempore balneo vti cõfert. Singulis itaq; dieb⁹ bis aut ter in aquas ſulphureas, vel aluminoſas, vel ſalſas deſcendat: non tamen diutiùs, ne vires cõuellãt, im-

ſionis à repletione.

Balneũ.

moretur. Aut si thermarum nullus vsus esse poterit, laconico vti licebit, aut aqua cui incocta sint folia lauri, abrotanum, pulegium, absinthium, ruta, saluia, hypericon, maiorana, & betonica. Conuulsæ quoque partes pellibus luporum & vulpium vestiantur. Inunctiones denique, quæ in cap. de Resolutione dictæ sunt, adhibere conuenit. Frigidę superfusione, cuius Hippocrates meminit, cum sit periculosa, non facilè vti licebit, nisi singula quę ab illo requiruntur, adsint. Cæterum calida medicamenta, vt est theriaca, antidotus Mithridati, deglutienda erunt. Omnium tamen securissimum & optimum est castoreũ dilutum, ad cochlearis parui mensuram, hoc est, drachmam vnam. Conuulsio, quæ ex inanitione & siccitate fit, maximum sanè malum est, & propemodum insanabile. Eos autem qui sic conuelluntur, oleo vel hydrelæo calido fouere oportet. Ad lauacrum etiam deducere oportet, temperatóque solio vti, cũ oleo & frictione lenissima. Et in vniuersum ferè curentur, vt hectica correpti. Curatio conuulsionis ab ictu feræ venenatæ, eadem est cum ea quę adhibetur iis qui à cane rabido morsi sunt. Annitendum enim vt venenũ extrahatur, vulnus latius efficiendo, locúmque totum in circuitu scarificando, superimpositis cucurbitulis. Confert & marubii & anagallidis folia illinere. Theriaca etiam cũ

Margin notes: 5. Aph. 21. — Conuulsiõis ex inanitione & siccitate curatio. — Curatio conuulsionis à cõsensu.

rosaceo diluta, & vlceri apposita, eò q venenum à profundo attrahat atque euacuet. hæc enim alexiteriorum, teste Galeno libro. 5. de simpl. med. facul. cap. 17. actio est. vt hinc toto cælo errare Gentilem, & qui hunc sequuntur, constet, quum theriacam admotam venenum magis intrò & in profundum pellere garriunt.

DE TREMORE. CAP. XXII.

Tromos Græcis, tremor Latinis dicitur: & est passio, quę duob⁹ perficitur motib⁹. vno, dum cogitur membrum ob morbum atque grauitatem, ad inferiora repere: altero, dum sursum à facultate fertur. Eius origo commu niter ex neruorũ imbecillitate est. Priuatim verò, frigidius naturæ temperamentũ, frigidæ potio, & præsertim in febrib. intempestiuè assumpta: frigidi, crassi, & lenti succi, vini multi meracioris vsus, senectus, timor. Signa quibus causæ dignoscuntur, nulla sunt necessaria, quòd partim ex ægro, partim etiam ex iis quæ suprà dicta sunt, deprehendi queant. Victus ratio sic īstituatur, vt causis planè cõtraria sit. Cibus verò didu ctu facilis offeratur, & boni succi: primùm sorbilis, mox volatilium & piscium molli carne præditorũ. Si autem crassorum viscosorumq; succorum copia fuerit, vti cõuenit iis quæ incidunt extenuántque. Vitent in vniuersum omnia quę neruos offendere possunt, vini potionem, po

τρόμος.

Causa.

Signa.

Victus.

tissimũ meracioris. Bibant dilutum & aquosum, aut hydromeli. Qui ex erroribus commissis manifestè tremunt, à noxiis deinceps abstineant. Qui igitur ex vini potu tremunt, iis vinum circuncidendum est, quoad in totum morbo fuerint liberati. Bibãt intereà hydromeli, cũ decocto saluiæ aut betonicæ. Si à frigidis & crassis humorib⁹ tremor accidit, curandi ratio eadem erit adhibenda quæ resolutioni & conuulsioni à repletione factæ, sanguinis dúntaxat missione excepta. Extremæ autẽ corporis partes oleis calefacientib. præunctæ, lanis mollibus conteganturr Dein cucurbitulæ citra scarificationẽ à priori vertebra vsque ad spinam lumbósque affigantur, vt scilicet crassi & lẽti humores vertebrarum foramina obstruentes, ad cutis superficiem trahantur, atque adeò subinde facilius discutiantur. Proderit etiã, vt ęger quotidie piperis grana quinque ex mulsi cyatho, hoc est ℥ I s. sumat. Simplicia quoque hæc præsumpta trementes adiuuant, castoreum, leporis cerebrum comestum, althęæ radicis decoctum, & eupatorii. Quid multa? medicamentis, vnctionibus præsertim, ad resolutionem conscriptis vtendum est.

Curatio.

DE DESTILLATIONE CAP. XXIII.

Destillatio quid.

Destillationem hoc loco communiter accipere oportet, vt sub se cõplectatur omnes ex capite in subiectas partes defluxus. Hui⁹

autem tria ſunt genera: quorum primum eſt catarrhoos, qui deſtillatio propriè Latinis dicunt. Fit, Galeno lib. 3. de Symp. cauſ. teſte, vbi ad os ac fauces humor delabitur. Alterũ coryza Græcis, Latinis grauedo appellatur: fit, dũ ad nares decũbit humor. Tertiũ Branchos, Latinis raucedo vocatur: accidit, vbi ad aſperã arteriã humor deſtillat. Ob varias cauſas accidere ſolet. Vel enĩ calor ambiẽtis qui in cerebro ſunt humores diſſoluens, vel eiuſdem frigiditas eoſdem cõſtringens, vt iis potiſſimum qui aperto capite balneum egrediuntur, accidere ſolet, deſtillationem conciliat. Frigida etiam cerebri intemperies, quæ cur eius alimentum nõ probè concoquatur, & calida, quæ aliunde vt trahantur ad ipſum humores efficiunt, deſtillationem procreare poſſunt. Cauſæ extrinſecæ facilè de ægrotorum ſermonibus agnoſci poſſunt. Qui ex calore deſtillatione corripiuntur, his particulę incaleſcunt, acris tenuíſque humor deſtillat tum per nares, tum per os, facies rubeſcit & naſus. Hos etiã vt plurimũ febris comitatur. Qui ex frigore, iis caput vndique & frons diſtenditur. meatuſque (quos ethmoides nominãt) claudũtur, ita vt ne vox deorſum per nares trãſmeare queat. Pituita & craſſius humor è naribus ſtillat. Fugiant aërem impenſè calidum & frigidum, præſertim à balneo, ventos auſtrinos & aquilonios, laconicum, &

κατάῤῥοος.
κόρυζα.
βράγχος.
Cauſæ.
Signa.
Victus.

omnia quæ dissoluere humores in cerebro possunt. Vtantur cibis concoctu facilibus & boni succi. deuitēt eos qui vaporum copiam ad cerebrum trāsmittunt, cepas, allia, sinapi, raphanum, & odoramenta suprà modum calida. In cœna ii minus quàm in prādio comedant. Potus sit hydromeli, aut decoctū hordei vel cinnamomi. Fugiendus somnus diurnus, & supinus.

Curatio. Vbi calida intēperies passionem effecit, iis pugnādum præsidiis, quæ dolori capitis ex tali causa cōtracto cōueniunt. Præsentissimum autem remediū est, capitis irroratio, maximè in æstate. Quòd si frigida intēperies afficiat, caput calefaciētibus subtilibusq́ue oleis, irino, rutaceoq́ue perungendum. Irinū verò nō solùm illinitur, sed etiam naribus instillatur, aliaq́; quæ suprà de capitis dolore ex frigore orto dicta sunt, adhibētur.

Si calid⁹ humor. Si autem calidus humor à capite destillauerit, simulq́ue febris inuaserit, ac totius corporis plenitudo fuerit, sanguis è venà exteriore cubiti mittēdus erit. Sin sanguinis missione vti non licuerit, clystere aluus eluēda, atque à capite exuperātes humores deorsum trahendi. aut medicamentis bilem per inferna ducentibus corpus purgandū, catapotiis nimirū aureis, alephāginis, & similib.

Auersio. Auertendi etiā à capite sunt humores frictiōibus extremitatū, ligaturis, & cucurbitulis scapulis admotis. Proderunt etiā medicamēta in-

trá corpus sumpta, quib. alterãdi inest facultas: vt est syrupus violaceus, nymphea, de pauere, & similes. Embrochæ etiã, & odoraméta suprà in cap. de Dolore capitis commemorata adhibeantur. Emplastrũ quoque ex terra sigillata, aut bolo armenio & plantaginis succo confectum, raso capiti imponatur. Si verò frigidus humor sit qui à capite destillet, per ea quæ pituitam purgant, corpus vacuabis. In quem vsum nõ parum proderit validi clysteris iniectio. Quo peracto, à capite auertere atque retrahere humores cõueniet. Dein vbi materia concocta fuerit, apophlegmatismis, gargarismis, & similib. medicamẽtis caput purgãdum. Sacculi etiam capiti admouendi sunt, hunc in modũ cõfecti. ℞ Florũ chamæmeli, meliloti, stœchadis arabicæ, foliorũ lauri, pulegii, origani, añ M s. cinnamomi, gariophyllorũ, añ ʒ s. maceris ʒ ii. nucis myristicæ, galliæ moschatæ, añ ʒ i. Terantur omnia, & fiat sacculus capitalis, qui suturæ coronali imponatur. Cõfert etiam caput oleis calidis, irino, anethino, & rutaceo perungere. Destillationem verò reprimunt omnia quibus exiccandi inest facultas: potissimum verò nigella, aut cuminũ deustum panniculo inditum & illigatũ, præsens auxilium affert. In hũc vsum suffiméta adhibere oportet, sic composita. ℞ thuris, mastichis, añ ʒ i. ligni aloës ℈ i. cinnamomi, gariophyllorum

Si frigidus humor.

Sacculi.

Destillationé reprimétia.

Pastilli ꝓ suffitu.

Pastilli pro suffitu. añ ℥ s. galliæ moſchatæ ℈ ii. foliorũ lauri, ſantalorum luteorũ añ ℥ s. moſchi, ambar añ gr. i. Terãtur ſingula, & cũ ſtyrace liquido quod ſatis eſt formentur paſtilli, quorum vnus prunis inſeratur. Aliud. ℞ ſaluiæ, maioranæ, roſmarini añ ℥ i. maceris, gariophyllorum, cinnamomi añ ℈ ii. ligni aloës, thuris añ ℈ i. miſce, fiat puluis, qui carbonibus ignitis iniiciatur.

DE LIPPITVDINE, SIVE OPHTHALMIA. CAP. XXIIII.

ὀφθαλμία. Ophthalmia Latinis lippitudo dicitur, eſt inflammatio tunicæ vel membranę adnatæ, quam cõiunctiuam hodie vocãt. Adnata autem dicta propterea, quòd aliis quæ oculum ipſum conſtituunt, tunicis forinſecus adnata ſit, ligamentum exiſtens toti oculo ad circũiacentia oſſa: ideóque ambientes oculorum partes vſque ad malas nonnunquam in vehementiori lippitudine ſimul attolluntur. Fit Cauſæ. vel ex plenitudine vniuerſum corpus aggrauante, ob quam adnata etiam humoribus referta tenditur. Vel ab influẽtium acrimonia, vehementer erodẽte: vel propter aliquã craſſorum humorũ, aut ſpirituum flatulentorum intenſionem. Dignoſcitur, quando adnata Signa. oculi membrana, quæ natura alba eſt, ob ſanguinis cõfluxum rubea eſſe videtur, & ex oculis lachrymę reſudant, atque in maioribus oculi angulis ſordes quædam colliguntur.

Locus in quo decumbit æger, obscurus & tenebrosus sit, & pro causę diuersitate aut frigidus aut calidus. Si in propatulum egreditur æger, panniculo atro aut viridi oculos obducat. Tenui vtatur victu, & cibo parciore. deuitet carnium lactisq; esum. Vino haud vtatur, præsertim inter initia. Bibat itaq; decoctum cinnamomi, aut hordei, donec vigor prętereat. Quòd si tamē crassi humores tensionem procrearint, hydromeli aut vinum tenue & aquosum bibere conueniret. Exercitari haud prodest, sed quiescere & dormire. Perturbationes animi procul absint. Si ex plenitudine cōtracta fuerit inflammatio (id quod dignoscitur si cum ingenti dolore oculos affigente plurima tensio, rubedo, renitētia, & calor affluxerit) à sanguinis missione curandi ratio fuerit, feruidarúmque lachrymarū copia deauspicāda erit. Venam autem secare oportet cubiti superiorem, quam humeralem vocāt. atque eam potissimùm, quę è directo est. Et si vehemens sit inflammatio, ad animi deliquiū vsque sanguinem auferre conueniet. Si verò à rodentibus, aut crassis humoribus lippitudo orta fuerit, id quod lachrymę tenues, salsæ, acres, calidæq;, aut contrariæ monstrabunt, atque adeò totum corpus cacochymum fuerit, prauísque humorib. abundauerit, quæ noxios humores vacuare & purgare possunt, medicamenta propināda, quæ certè

Victus.

Curatio.

pro redũdantiũ ac infestãtiũ humorũ varietate immutãda veniũt. Corpore inanito, humorũ impetus qui ad oculos fertur, deorsum ad alias corporis partes ignobiliores frictionibus infernarum partiũ, ligaturis artuũ, & cucurbitulis reuellendus erit. Posthæc adhibenda sunt medicamenta repellẽtia, quæ nõ exasperent, hoc est, non vehementem sortita sint adstrictionem: sed quæ tum propriâ sua substantiâ sint moderatiora, tũ lenitiui liquoris admixtione adhuc magis talia fiant. Lenitiui autẽ humores sunt potissimum, Galeno lib. 13. Ther. meth. cap. vlt. teste, oui candidũ, & fœnigræci decoctũ, & ad hæc amplius ipsum lac. In quo prouidũ esse cõuenit, vt iuuẽculæ simulq; boni succi fœminæ ex istat, vberibus ipsius in cotẽ, in qua collyriũ teritur, expressis, quò calidũ adhuc oculis infundatur. Hoc autem præcipuè in vehemẽti dolore afflictis, aut propter inflammationis magnitudinẽ, aut ob influentium humorũ acritudinem faciendum. Fronti itaque illinendi succi rosarum, plantaginis, solani, foliorũ salicis, cũ oui albo & aceto. His ammiscere oportet bolum armenium, thus, acatiam, santalos rubeos, balaustia, & similia, ex quibus adiecto oleo rosaceo & farina hordeacea emplastrum componendum erit. Emplastica & anodyna, vt est cerussa & amylum, nõ temerè sunt adhibenda. hæc enim etsi sensum tor-

Adstringentia & reprimẽtia.

Lenitiui liquores.

Emplastica & stupefacientia nõ temere adhibẽda.

pescere faciant,tamen vehemẽtes fluxiones, Galeno 6.Aph.com.31.teste, non reprimũt, sed excerni prohibent: atque adeò si humores fluentes acres fuerint,corneam erodi cõtingit. Si verò multi,magis irritari, ac vehementer extendi. Pariter vehementer stupefaciẽtia,nisi maxima doloris necessitas vrgeat non sunt admouenda : quòd scilicet facultatem visoriam offendant,adeò vt cessante inflammatione,vel debiliter vel nihil omnino videãt.In principio itaque medicamẽta quæ refrigerant,adstringũt & repellunt,adhibenda.In incremẽto,repellentib. nonnihil ex iis quæ discutiunt admiscẽda. At in vigore mitigatoria applicanda.In declinatione, ea quæ tantum discutiendi facultate pollẽt. Vbi igitur concocta iam phlegmone ipsa fuerit , & simul corpus vacuũ , tum vtiq; lauationes in balneo his sunt aptissimæ.nã Galeno vbi suprà autore,& dolorem statim sedant, & fluxionem quę ad oculos fertur,sistũt,maxima quidẽ eius parte inter lauãdum per totũ corpus excreta,reliquo verò cõtemperato mitigatóve. Fomentũ præterea omnino adhibendum est ipsis oculis per spongiam,si quidem mediocris sit dolor,semel aut bis in die:si vero vehementior dolor vrgeat,præstat ter aut quater,& sæpius vti, in lõgis præsertim æstiuis diebus. Fiat autẽ fomentum per meliloti & fœnigræci decoctũ. Est nánq; hoc medi-

Balneum

Fomentum.

camentum maxime omnium quæ oculis admouentur, sine offensa discutiens. Lauãdum tamẽ prius curiosè fœnogræcum, ne quid illi vel pulueris vel sabuli adhærens clàm lateat. Aloë etiam per se, vel aqua aut succo fœniculi diluta mirabiliter confert.

DE SVFFVSIONE. CAP. XXV.

ὑπόχυμα καὶ ὑπόχυσις.

Hypochyma & hypochysis, Latinis suffusio dicitur, barbaris cataracta. Est, vbi humor lentus & glaciei modo concretus, inter corneam & crystalloidẽ circa pupillã subit, quo visus eatenus saltẽ impeditur, vt nõ possit discretas rerũ species & colores oculus apprehendere. Accidit potissimum ex refrigeratione, ac imbecillitate spiritus visorii, Paulo lib. 6. capite 21. autore. Fit etiam ex vomitu violẽtius cõcitato, & ex ictu, & humore pigro in cornea mẽbrana iuxta pupillam collecto.

Causa.

Sgna.

Iochoante morbo tanquam pusilli culices, vel alia lucẽtia, caliginosáque quædam corpuscula assiduè præ oculis obuersari videntur. Quibusdam veluti lanarum filamenta, & telæ aranearum, quibusdam circa lucernas circuli offeruntur. Hæc autem nonnunquàm propriæ noxæ oculi, nõnunquam ventriculi passioni ferũtur accepta. Quare inter hæc duo discrimẽ habendum est. Si quidem visa ob humorum in ventriculo cõtentorum vitium oborta fuerint, vtriq; oculo similiter accidũt. Quæ verò per propriam passionem

apparent, neque incipiunt simul in vtroque, neque similiter apparẽt. Deinde ex tempore quoq; distinguũtur. Si enim tribus quatuorve aut etiã pluribus mẽsibus suffusionis symptomata apparuerint, contemplantíque tibi pupillam, nihil tenebrosum videatur, ab ore ventriculi passionem procedere inuenies. Si verò non ita multum tẽporis intercessit, quęrendum est in primis, vtrùm ex quo incepit affectus, singulis diebus perpetuò huiusmodi apparitio perseuerauerit, nullo scilicet interueniẽte die qui omni querela caruerit, an diebus quibusdam laborans exactè videatur conualuisse. Nam continuitas suffusionem portendit: intermissio verò, quod malum à ventriculo prodierit, suspicionẽ excitat. Idq́; magis, si vbi perfectè quis concoquens, nullum sibi visum apparere fatetur. Sed multo magis, si quum apparuerũt visa, mordicus in ore vẽtriculi doluit: maximè verò, si post hęc vomendo, eiecta re mordente, mitigata fuerint symptomata. Vbi verò altera pupilla tenebrosior, aut turbidior, aut nõ exactè pura videtur, suffusionis esse initium censendum est. Victus ratio sit attenuatoria, & exiccatoria. A vino abstineat in tota medicatione, & pro eo decoctum cinnamomi, aut hydromeli bibat. Fugiat omnia caput replentia. A balneis abstineat, nisi vel lassitudinis vel cruditatis causa sint necessaria: atq; ne tũ quidẽ Victus.

in aëre balnei diutius immorari. neque in so lio persistere, sed sensim quidem ingredi, cõfestim verò egredi oportet. Vitent pisces, fructus, & quicquid corpus humectare potest. Suffusi in principio, nisi quid obstet, venę cubiti exterioris sectione, & acribus clysterib⁹

Curatio.

purgationibúsque curantur. Deinde cucurbitula occipitio cũ scarificatione affigenda est, vtendúmque per interualla apophlegmatismis, & iis quæ per nares purgãt. Cauterium etiam quale suprà cap. 11. descripsimus, post aures apponendũ erit. In oculis auté medicamentis est primum simplicib. vtendum, puta melle cum oleo & succo fœniculi: postea cõpositis, quale hoc est, quod ℞ succi fœniculi ℥ ii. aquæ chelidonii maioris, euphrasiæ añ ℥ i s. sagapeni ʒ i. misce. Fellis etiã genera per se, aut cũ fœniculi succo illita proderũt. Aut myrrhę & piperis partes ęquales cum melle,

DE AVRIVM DOLORE
CAP. XXVI.

Causæ.

Auriũ dolor aliquibus ex refrigeratione, in peregrinatione à frigidis ventis facta, oritur. Aliquib⁹ verò ex balneis frigidis, & quibusdam ex aquis medicatis excitatur. Fit & auris dolor ex inflãmatione, interdum quidem solius circa meatum cutis, interdum verò in profundo, quando videlicet neruus auditorius ad inflammationis affectum peruenerit. Qua verò ratione inflammatio, partes

inflammatas distẽdens, dolorẽ parit: eodem modo etiam flatulentus spiritus transitũ non habẽs, dolorem efficit. Saniosi denique & serosi humores in corpore auriũ generati, consimiliter vt mordaces humores qui extrinsecus illabuntur, dolorem conciliant. Aurium dolor qui frigiditati fertur acceptus, de ægri sermonibus facile cognoscitur, & inde quòd dolor altè citra grauitatẽ vel distensionem vel ardorem, fixus sit. At qui ex calida ortus est intemperie, ex eo quòd in illo feruoris cuiusdã sine grauitate seu tensione sensus est, deprehenditur. Si grauitas, distensio, simúlq; calor & dolor pulsatilis, aut etiã febricula oboritur inflãmatione aurẽ laborare censeto. Sola autẽ citra grauitatem distẽsio, spiritum flatulentum, cui exitus nõ patescit, indicat. Victus ratio ex superioribus iuxta causæ diuersitatem facilè institui potest. Cæterum dolorem à sola refrigeratione obortũ, calefacientia quàm celerrime curant, nempe oleum rutaceum, laurinum, nardinum, cicinum, anethinum, & liliaceum. Oleum etiam in quo allium decoctum est vel cepa, instillatũ mirificè confert. Sunt qui magnas cepas exsculpẽtes, deinde oleo explentes, & in feruẽte cinere moderatè calefaciẽtes, ita aurib⁹ infundãt. Galenus euphorbio perquàm exiguo ad multũ vetus oleum ammixto vsus est veluti etiã pipere exquisitissimè trito. Mani-

Signa.

Vict⁹ curatio doloris frigidi.

festum verò est omnib⁹, quicquid adhibetur, mediocriter calidum esse oportere. Quū autem à calida intemperie dolor obortus fuerit, tum contrariis medicamentis propulsandus erit. Mirificè igitur cōfert rosaceum oleū in aurem demissum, vel acetū, vel succus solani, oleúmq; nymphęæ. Vt ℞ olei rosacei, succi solani añ ℥ s. aceti ʒ i s. misce. Magnificè etiā eos dolores mitigat oui cādidū, itémque lac muliebre. Vbi verò aqua medicata circa auditoriū meatum cótineatur, oleū assiduè infundere conuenit, quo ipsum eluamus: dein lana molli extergere, rursúsque infundere. Plurimum etiam prodest adeps anserinus, atque item vulpinus. Sed nihil ad aquam euocandā præstantius quàm oris exuctio, quæ etiam per calamum ceu canalé exugi potest. Si quis etiam alteri pedi innixus eiusdem lateris cum aure affecta, capite parumper decliui saliat, aquam facilè excutiet. Si vero à flatibus, aut crassis viscosísque humoribus dolor excitatus fuerit medicamentis quæ obstructiones auferunt & incidunt, vtendum: cuiusmodi sunt omnia amara, quę sine erosione expurgant extergúntque. Ex quo genere est albū item ac nigrum veratrū, amygdalæ amaræ, ex aristolochiis quæcūq; fuerit ad manū, iris illyrica, vitis albæ radix, centaurii minoris coma, cinnamomū, & polium. Quòd si inflammatio adsit, statim san

Doloris calidi.

Ex aquis medicatis.

A flatib⁹ & humorib⁹ crassis.

Ab inflāmatione.

guis ex humerali vena eiusdem lateris, mittendus est. Deinde oxyrhodinum tepefactũ instillandum. At si vehementior fuerit inflãmatio, ad sedandos dolores albumen oui cũ lacte mulieris tepidũ infunditur. Cogẽte verò dolore, necessarium est etiam his quæ sensum stupefaciant vti. Neque enim mediocre periculũ est, ne cerebrum neruo per quem facultas audiendi distribuitur vicinũ, per consensum afficiatur. Miscetur autem pauculum opium muliebri lacti, & oui cãdido, quæ & ipsa per se aurium inflammationibus ꝓsunt. Castoreo etiã opium miscetur. Verum multo ante vsum tempore, Galeno lib. 3. de cõp. med. cap. 1. autore, siue pari pondere, siue duplo castoreo ammisceatur, præparatũ id esse conuenit. Et miscetur quidem in vehementissimis doloribus pari, in minoribus verò duplo. Liquor verò quo prædicta medicamẽta diligenter prius trita & leuigata, diluũtur, sapa sit. Opio etiam oleum rosaceum & violaceum miscetur in hunc modũ. ℞ opii ϶s. oleorum rosacei & violacei añ. ʒ i s. misce. Philonis antidotũ frequenter etiã sic laborãtibus profuit, dissolutũ lacte muliebri, & instillatum. Extrinsecus verò aurẽ asiduè siue oleo cõmuni, siue ex quodam calido fomento oportet fouere, lanámque hoc imbutã in aurẽ cõiicere, sed ita vt partes inflãmatione tentatæ quàm fieri potest minimè attingãtur. Vbi

Stupefacientia.

autem dolor inueterauerit, & iam in suppurationem conuerti cœperit, medicamento è succo lini seminis vtitor, quod vnà cum rosaceo aut chamæmelino solutum instillabis.

DE PAROTIDIBVS. CAP. XXVII.

παρωτίδες. Parotides sunt inflãmationes, quæ in glãdulis auribus adiacentibus fiunt. causa. Causa eius non est alia quàm reliquarum inflammationum, quæ in glandulosis accidunt partibus. signa. Signa nulla ad agnoscendas parotides requiruntur: oculorũ enim iudicio subiacẽt. victus. Victus ratio talis, qualis in aliis inflammationibus, instituenda venit. curatio. Curãdi ratio à venæ sectione, si ætas aliáque permiserint, auspicanda erit. Incidenda vero humeralis eiusdem lateris vena. Adstringentia & reprimẽtia medicamenta in parotide nõ adhibẽda. Non tamen ad eas, quemadmodum alias inflãmationes, in principio reprimentibus vtimur, sed contra attractoria medicamenta adhibemus. Atque si hęc nihil notatu dignum effecerint, etiam cucurbitulas affigemus, aut fomenta assidua adhibebimus. Annitendum enim, vt affligens humor ex profundo ad cutem attrahatur, præsertim vbi in capite affectus sit firmatus, humorib. in eo pertinaciter hęrentibus. Quin & quum citra capitis affectum, in febribus acutis natura superuacuos humores ex vasis effundens, ad regionem inter cutem & subiecta corpora deponit, quando sanè & glandulæ ex effusis humoribus opplentur: me-

lius esse vtique etiam tũc videtur, naturę per humorum decubitum seu ex loco in locum impetuosum illapsum febres curanti, opitulari. At verò quum vehementi impetu influxus irruit, nihil nos tentabimus, sed omnia naturę permittemus. Si enim vel cucurbitã vel medicamentum humores ex alto ad cutẽ attrahens admouerimus, vehemẽs dolor hominem apprehendet, vnde & vigilię suboriẽtur, febres intendentur, ac vires exoluentur. Mitigare itaque tunc nõ humorũ influxui opitulari conuenit, per cataplasmatum maxime lenientiũ vsum. Eligenda vero, quæ cũ humiditate moderata calorem habeant, doloribus mitigandis sedandísve, atque influẽtibus humoribus concoquendis & maturandis idoneum. veluti est quod ex farina hordeacea, aut triticea, aut seminis lini cũ mulsa, aut fœnigræci, aut altheæ, aut chamæmeli decocto paratur. In hunc etiam vsum valet butyrum assidue illitum, & ouorum vitelli. Suillus etiam adeps cum butyro liquatus, cera exigua addita. Si itaque tumor nõ discutiatur, suppurantibus medicamẽtis vtendum est: velut est farina triticea, cum caricarũ decocto, & oleo. Si vero suppuratæ fuerint parotides, tũc aut per sectionẽ pus elicere oportet, vlcúsque velut in eiusmodi moris est curare, aut sanè per acre medicamentũ abscessum rumpere: quale est quod ex alliis cõstat.

aut tentare, vt ipſum per medicamenta attra-
ctoria tenuiúmq; partiũ diſcutiamus, bis per
diem ablatis, & fomentis admotis, donec re-
miſerint & laxati fuerint dolores. Quando
verò iam plurimum puris fuerit diſcuſſum,
tunc iam primum ſemel ſoluere ea medica-
menta, & fomenta adhibere oportet: deinde
verò neque ex re eſt id facere, ſed ipſis medí
camẽtis permittere oportet, vt ſiquid reliquũ
in profũdo hęreat, idipſum diſcutiãt. Quòd
ſi durities adſit, ea ipſa quoque mollıẽda eſt.
quare hoc tempore ex mixta medicamento-
rum facultate compoſitio parabitur, emolliẽ
tibus attractoriis ammixtis. Manifeſtum au-
tem eſt ꝙ moderatæ parotides, in quibus ne-
que humorum multitudo redundans in par-
ticulas irruit tanta, vt vehemẽtes dolores ex-
citet, neq; caliditas cum humore adeſt, facilè
per medicamenta emollientia & diſcutiẽtia,
quale eſt emplaſtrũ diachylõ, ſanari poſſint.

DE SANGVINIS EX NARI-
BVS ERVPTIONE. CA. XXVIII.

Cauſæ. Cauſæ profluuii ſanguinis ex naribus ex-
ternę multę ſunt, nempe caſus ab alto, ictus,
exercitiũ vehemens, mora in ſole. Multę etiã
ſunt internæ, nimirum copia ſanguinis, vel
eiuſdem tenuitas. Omnes autem cauſæ ſub
iis tribus complecti poſſunt. Sanguis enim
profluit ex naribus, aut reſerato venarum vel
arteriarum quę in capite & narib⁹ ſunt, ore,

aut tunicâ earundem rupta ac diuisa, aut sudoris instar transcolatus. Porrò, reseratur venarum & arteriarũ os propter tum vasis imbecillitatem, tum sanguinis qui ad eos earũ impetu ruit, copiam: ad hęc acrem quampiã, quæ illi extrinsecus incidit, qualitatem. Diuiditur autẽ tum ex vulneratione, tum contusione, tum ruptione, tum erosione. Sudoris instar transmittitur tunicâ quidem ipsâ rarefactâ, sanguine vero tenuato. Causæ externæ de sermonibus ægrotantis cognoscuntur. Plenitudinis notæ dictæ sunt suprà cap. 6. huius libri. Decretoriũ sanguinis ex naribus profluuium, ex morborum, qui præcesserunt, cõstitutione depręhenditur. Victus ratio talis sit, quæ infrigidare & incrassare sanguinem queat. Tenuis etiã sit. Aëre itaque vtatur frigidiore: cibis boni succi, & concoctu facilibus. Feruente sanguine, vescatur lactucis, endiuia, scariola, pyris, cotoneis malis, pullis gallinaceis assis, aut cũ omphacio decoctis. Bibat vinum crassum ac rubeũ, fugiat verò tenue & album: Aut in potu vtatur aqua frigida, vel decocto cinnamomi. Parũ loquatur animíque perturbationes (iram potissimum & similes) deuitet. Caput præterea sublime habere conueniet. Curandi verò ratio ab iis q̃ sanguinẽ ad alias corporis partes auertere possunt, auspicãda. Primũ itaq;, si plenitudo corporis adsit, aut ętas pmiserit, ęgérq; re-

Signa.

Victus.

Curatio.

solutus adhuc non sit, vena in cubito incidẽda est, qui profusioni è directo respõdet. vbi paululum detraxeris, mox vnã horam inter mittens, rursus detrahes: pòst iterum atque iterum pro laborantis viribus. Frictio etiam infernarum partium, brachiorum videlicet, manuũ, femorum, inguinũ, ac pedum potissimum, per ea medicamenta quę calefaciũt, adhibenda. Pręterea vincula valentius adducta, iis remediis, quæ reuellunt, adnumerãda sunt. Sanguinem denique è naribus erumpẽtem retinent magnæ in hypochondriis defixæ cucurbitę. Infigendæ autem sunt, si ex dextra nare profluit sanguis, super iocinore: sin ex sinistra, super liene: si ab vtraque nare, super vtroque sunt imponendæ viscere. scapulis etiam cum scarificatione applicandæ sunt. His peractis, medicamenta quę refrigerant & adstringunt, intra & extra corpus adhibenda erunt. Extrinsecus itaque apponenda fronti & cõmissurę coronali sunt, epithemata ex succo plantaginis, lactucę, acetosę, bursę pastorię, polygoni, & similibus. Mirifice vero cõfert, si linteolũ in aceto madefactũ frigidum, iterum atque iterum fronti & ceruici admoueris. frons etiã spongiis ex aqua frigida fouenda. Proderit etiam hoc epithemate iocinori & fronti imposito vti, quod ℞ aquarum rosarum, solani, oxalidis (hoc est acetosę) plãtaginis ãn ℥ iii. aceti ℥ is. specie-

Frictio.

Ligaturę cucurbitæ.

Medicamẽta refrigerantia & adstringentia.

rũ diatriſantali, diarhodõ abbatis, añ ʒ s. boli armeniæ, eboris vſti, lapidis hæmatitidos, añ ʒ i. miſce, fiat epithema. Hoc etiã obſtruẽti medicamẽto, quod Galen. li. 5. The. meth. optimum eſſe inter omnia alia aſſerit, vtendũ, quod ℞ thuris ʒ ii. aloës ʒ i. Redacta in puluerem cũ oui candido ſubigantur, donec ad mellis craſsitudinem redeãt: dehinc leporis mollıſsimo pilo excipiãtur, & admoueãtur. Licebit etiam linamentum contortũ hoc medicamento imbutum naribus indere. Mẽtam porrò tritam in nares cõiicere proderit aut ſpongiam in acre & feruidum acetũ con iectum, forinſecùs ad ſanguinem profundẽtem narẽ apponere. Aliud. ℞ putaminis oui ʒ ii. gallę omphacitidis ʒ i. trita linamẽto torto aqua aut aceto madefacto excipito, & indito. Frontem verò & naſum gypſo albumine oui madefacto integere cõfert: aures quoque validè linteis & cera obturare, & in ore aquam pluuialem frigidã continere. Succus etiam foliorum vrticæ linamẽto impoſitus, ſanguinem ex naribus erumpentẽ reprimit. Idem etiam poteſt caudæ equinæ ſuccus, aut ipſam & trita applicata. Cochlearum carnẽ cum aceto tritam, aut eaſdem cum ſuis domiliis vſtas tritáſq;, fronti ac naribus ex aceto admouere conuenit. Supra omnia cõfert ſanguis, qui ex ægrotantis promanauit naribus, ſi ĩ vaſe figulino toſtus fuerit: de quo ℞ ʒ iii.

boli armenię, gypsi ań ℥ i. caphurę ℈ i. cũ oui cãdido & exiguo aceto reducãtur ad mellis crassitudinẽ, & fronti imponãtur. Necessitate vrgẽte, grana duo aut tria opii adiicere licebit. A tota substantia stercus asininũ exiccatũ, & in puluerẽ redactum, conducere videtur. id quod porcinum etiam efficere potest. Intra corpus adhibẽda ea quę infrigidãt & adstringũt medicamẽta, vt sunt syrupi, rosaceus, myrthinus, & nymphæę, & de papauere. Cõseruæ rosarũ, nymphęæ, & oxalidis. Pastilli de terra sigillata, de succino, de ebore seu spodio, cũ succis paulò antè cõmemoratis. Porrò si quid interea ex sanguine absorptũ esse videatur, etiam idipsum, vbi multa eius sit copia, per medicamentum, quod vacuare potest, educito. In vẽtre enim & intestinis in grumos coactum, incensionem facit.

Quæ adhibenda intra corpus.

DE DOLORE DENTIVM.

CAP. XXIX.

Causæ.

Fit interdum ab intemperie vel frigida vel calida, interdum verò propter defluxum humorum ex capite in radices eorundẽ: qui sua acrimonia illos aut erodunt, aut consimilem in eis passionem sua copia excitãt, qualis est circa carnosas partes inflammatio. Si à nuda qualitatis intẽperie dolor ort⁹ sit, minimè grauatiuus erit: sin ab humore copioso influẽte, non solũ grauatiuus dolor in dentibus sentitur, verũetiã in reliquis partib⁹ quas

Signa.

pertrāſit. Calidus autē humor, vehemētiorē: frigidus verò, remiſsiorem mitiorémq; dolorem excitat. Victus ratio, quæ maximè, ne dolor accidat, efficere poteſt, talis ſit, vt ſupra modū calida aut frigida deuitentur: potiſsimū verò cauendū, ne ſtatim ſeſe ſequantur. Vitanda acida, acerba, & viſcoſa omnia. Lactis etiam frequens vſus dentibus mirificè obeſt. Studiū & diligentia aſsidua ſit in purificatione dētiū. quæ ſanè res eos à corruptione omniū maximè tutos reddit. Vtēdū cibis boni ſucci, & concoctu facilibus. Dolore autem infeſtāte, iuxta cauſę diuerſitatē, victus inſtituatur. Curādi ratio, ſi à nuda ſit qualitatū intemperie, ſolis iis quæ alterare poſſūt, medicamētis perficitur. Si à frigore, proderit vino tepido colluere dētes: extrinſecùs maxillę calefaciētibus oleis, chamæmelino, rutaceo, irino & ſimilib⁹ inungātur. Ad oris etiā collutionē in aceto decoquēda erūt origanū, calamintha, hyſſop⁹, pulegiū, ſatureia verbenacę rectæ radix, & ſimilia. Sin à calore dolere dentes cœperint, in aceto decoquere cōuenit portulacam, parietariam, ſemperuiuum minus, & glycyrrhizam. Quòd ſi intolerabilis exiſtat caloris ſenſus, vtendum eſt ſeminibus lactulæ, intybi domeſtici, & papaueris hortenſis, decoctis in aceto: forinſecùs oleis frigidis partes inungendæ. Porrò ſi à redundātia humorū dolor excitatus fue-

Victus.

Curatio.

rit, si ætas, tempus anni, & alia permiserint, plenitudóque corporis affuerit, à sanguinis
Venæ sectio. missione curatio inchoanda erit: Detrahẽd⁹ autem sanguis ex humerali vena, quæ è directo affectum locũ respicit. Quo peracto, venas sub lingua incidere oportet, aut scapulis cucurbitas affigere. Si verò vnus dũtaxat
Purgatio. humor exundauerit, medicamento quod eũ humorem purgare consueuit, euacuetur. In quem vsum clysteres etiam, qui ad inferiora auertunt humorum impetum, adhibere lice-
Reprimẽtia. bit. Vacuato corpore, ea quæ reprimũt medicamenta admouebis: vt sunt succi plãtaginis, rosarũ, portulacæ, lactucæ, intybi domestici vtriusque, aut prędictarum herbarũ decoctum cum modico aceto. Prodest verò mirificè, dolentes dentes acri aceto calido cum galla immatura colluere. Adiicienda etiã interdum erit caphura. Emplastrum quoq; ex farina hordeacea, cum decocto solani, halicacabi, & lactucæ confert. Inungendę etiam vicinę partes extrinsecùs oleo rosaceo, nymphææ, exiguo caphuræ adiecto. Principio
Discutiẽtia. morbi iã transacto, reprimẽtibus admiscẽda erunt discutientia: vt est decoctum fœnigræ-
Stupefacientia. ci, seminis lini, pyrethri, & hyssopi. Ad stupefacientia, nisi summa vrgente necessitate, nõ est perueniendum. In hunc autem vsum adhibebis decoctum seminis aut foliorum hyoscyami cum aceto. Philonii etiam drachma

vna in aqua aut vino diluta, non parum auxilii cōferet. Inter ea tamen, quæ à tota essentia conducunt, egregiè facere fertur ranæ in aqua & aceto probè coctæ decoctū, diutiùs ore retentum. Præclare prodest etiam senecta serpentis, in vino aut aceto cocta. Eadem quoque vsta ac trita, cum oleo ad mellis crassitudinem redacta, dentíque imposita dolenti confert. Ipsa denique non vsta dētibus adfricta, non parum conducet. Origanum prę tereà dentium dolorem lenit, & protinus tollit, si redactum in puluerē cum nitro inspargatur. Quòd si verò prædicta nihil contulerint, dens aut ferro aut medicamentis auferēdus erit. Quæ autē sint medicamenta ea quæ citra dolorem & absq; ferro dētem extrahere queunt, docet Aëtius lib 8.cap.34.

Quę à tota essentia cōducunt.

DE APHTHIS CAP. XXX.

Aphthæ, vlceratiōes quæ in superficie oris accidunt, igneæ caliditatis quidpiam habentes, Græcis appellantur: quę nunc subalbidę, nunc subrubræ sunt: aliàs crustę modo nigrescunt, & hæ omniū periculosissimæ existūt. Barbari hunc affectum alcolam nominant.

ἄφθαι.

Fiunt vt plurimùm infantibus puerisq; lactentibus, quum aut vitiosum fuerit lac nutricis, aut nō probè ipsum cōcoxerit infans. Fiūt etiam aliquando in his qui ad perfectā ætatem peruenerunt, tum propter vitiosorū humorum ad os defluxum, tū propter acri-

Causę.

monia̅m eorum quæ bibuntur ac comeduntur. Cognitio omnium facilis est, vtpote visui aut tactui subiecta. Ad tactũ quidem, calidiores quam conuenit partes fiunt, tumorésque & citãtur. Visu verò, ex colore cognoscuntur. Quæ enim rubicundiores existunt, sanguinei humoris dominium indicant: flauiores, bilis amarulentæ: albidiores, pituitę: liuentes verò & nigrefactæ, bilis atræ. Quæ infantibus accidunt, facilè curantur, vtpote quæ ex moderatè adstringentibus sedantur. Infantibus verò ea potissimùm conueniunt, quæ in cibis offeruntur. Oportet itaque miscere cibis aliquid ex malis cotoneis, & aliis acerbis, pyrisque ac mespilis. Aliquando etiã lactucæ quiddam & intybi, ac portulacæ cibo admiscendũ est, inflammata videlicet vlceratione existente. Conuenit etiã lens cum aceto & aqua decocta, cum modico pane cõ manducata. Quòd si infans ipse cibum capere haud possit, nutricem eius huiusmodi victu curare oportet: necnon infantiũ ora medicamẽtis cõuenientibus illinire. Si quidem subrubę infantiũ vlcerationes fuerint, à principio his quæ mediocriter adstringunt & refrigerant, est vtendum. Si verò subflauæ fuerint, iisdem quidem vtendum, sed magis refrigerantibus: Si pituitosiores, adstringentibus: Si nigrescentes, iis quæ generosiùs discutiunt. Sufficit itaq; pro iis rosarum flos, ipsa

Signa.

Curatio infantiũ.

que rosarum folia sicca cõtusa, galla, & thus, cum mulso aut melle rosaceo illita. Collutiones etiam oris ex succis rosarum, plãtaginis, solani, aut decocto gallarum, balaustiorum, rhoë obsoniorum, admixto Rob de ribes, aut confectione diamorôn, prosunt. In eis qui iam perfectæ ætatis sunt, durioráq; corpora habent, efficacioribus remediis vtimur. Curatio adultorũ Victus.

Primùm itaque, quod ad victus rationem attinet, qui in hac ætate constituti, ab omnibus quæ salsa & acria sunt, quæque vitiosos succos progenerare possunt, abstineant. In plenitudine totius corporis, primum venæ humeralis, & dein earũ quæ sub lingua sunt, sectio fiat. In cacochymia, humoris redundãtis purgatio conuenit: Qua peracta, medicamenta quibus adstringendi & reprimẽdi facultas inest, adhibenda erũt: Deinde verò ea quæ citra mordacitatem discutiunt, vt est fœnumgręcum, glycyrhizæ radix, melilotum, & alia prius sæpe commemorata. In his verò omnibus corporum naturas contemplari oportet, num molles sint & humidę, velut in pueris, eunuchis, & mulierculis: an duræ & aridę, velut in piscatoribus, nautis, venatoribus, atq; agricolis. Fortioribus enim corporibus fortiora adhibẽda medicamenta, mollioribꝰ imbecilliora. Atqui si exulcerationes putrescere incipiãt, maximè ĩ infantibꝰ, pręclarè facit ęx decocto gallarũ & melle illitio. Venæ sectio. Purgatio.

Gallas itaque contuſas aqua decoque, & cũ decocto percolato parem menſuram mellis permiſcens, rurſus decoque, donec ad mellis craſsioris ſpiſsitudinem redigatur: eóque vt maximo remedio vtere, ita vt locis illitum ſatis diu digitis adfrices. Nec minùs egregiè facit cẽtaurii minoris exuſti cinis illitus cum melle. Cornu etiam ceruinum vſtum, tritũ, & adfrictum, mirificè conducit. Ad aphthas quæ proſerpunt, ſummè efficax eſt fœniculi radix vſta per ſe & cum melle illita.

DE FOETORE ORIS. CAP. XXXI.

Cauſæ. Moleſtus oris odor primũ ob putreſcentes gingiuas, dentes, aut ciborum reliquias illic detẽtas accidit: deinde propter cutis oris calidam intemperiem, humiditatem, quæ in eo multa eſt, corrumpẽtem: interdum etiam ob humorem corruptũ aut putrefactum, in ore vẽtriculi hærentem: Nonnunquam vero oris aut pulmonis exulceratione fit, vt moleſtus ſit oris halitus. Signa. Si propter putreſcentes vel gingiuas, vel dentes, vel ciborũ reliquias oris fœtor accidit, facilè viſu aut de ægroti ſermonibus deprehendi poteſt: Si ob calidã cutis oris intemperiem, tum calor in ore ſentitur, ac ſitis adeſt: Si propter os ventriculi, tũc ante cibi ſumptionẽ præcipuè oris odor moleſtus eſſe ſolet. Oris & pulmoris exulce-

rationes, visus etiã agnoscit. totius enim corporis extenuatio phthisicos concomitatur.

Victus ratio talis sit, vt omnia quæ facilè in ore aut ventriculo corrumpũtur, euitet ægrotus, lac, pisces, fruct⁹ oẽs, medullas, & pinguia, aquas prauas, & similia. Vtatur potius cibis boni succi, potissimum verò assis. In cœnæ & prandii fine adstringentibus, pyris, cotoneis malis, & eiusmodi. Potus iuxta causæ diuersitatẽ sit vel vinum, vel cinnamomi aut hordei decoctum. Somnum statim à cibo fugiat. Si propter gingiuarum aut dentiũ corruptionem fœtor oris acciderit, corporísque plenitudo fuerit, ex vena humerali primùm sanguis mittendus erit, & dein cucurbitulæ ceruici affigendæ: Sin cacochymũ fuerit corpus, medicamento idoneo humor redundãs ac molestans vacuandus erit. corpore vacuato, localibus vtẽdum: in quem vsum collutiones mirificè conferunt. qualis hæc est, quę ℞ rosarum rub. plantaginis añ M I s. gallarum, balaust. nucis cupressi añ ʒ ii. corticum granatorum ʒ I s. aluminis liquidi, rochę nominãt, ʒ I. Decoquantur in aqua sufficienti, vsque ad tertiæ partis absumptionem. colaturæ adde mellis rosati colati, rob nucum viridium añ ℥ s. diamorôn ʒ ii. fiat collutio: cũ aqua calida dẽtes & gingiuæ colluantur. Proderit etiã frequens collutio ex aqua, cui acetum sit permixtum, manè, & statim à cibo. Non parum

Victus.

Curatio.

Venæ sectio.

Purgatio

Localia.

Collutio

etiam confert commanducatio pyrethri, tamaricis & rutæ: collutio item ex aceto scyllitico, aut decocto saluię, aut cum solo vino. decoctum mẽtæ ex aceto & aqua iuuat, si illo assiduè os colluatur. Si à calida intemperie fit oris fœtor, contrariis curetur medicamentis. Sin ab humore in ore ventriculi corrupto accidit, per ea quę humorem illum vacuare possunt, sanetur. Commodè autem per vomitum vacuabitur, qui iis quę cap. 20. diximus, concitandis medicamẽtis venit. Dein confectiones stomachum roborantes; vt est aromaticum rosaceum, diambre, miuáq; cotoneorum exhibenda. Medicamenta verò, quæ in omni causa competere solent, sunt gariophylli, mastiche, macer, lignum aloës, cinnamomum, rosæ, santali, nux myristica, cubebæ, & alia eiusmodi.

Si à calida intemperie.

LIBRI PRIMI FINIS.

LEONHARTI FVSCHSII DE MEDENDIS SINGVLARVM corporis partium, à summo capite ad imos vsq; pedes, passionibus, Lib. II.

DE COLVMELLAE INFLAMMATIONE. CAP. I.

CARNOSA quædam particula in summo ore apparet dependens, si quis aperto plurimùm ore toto linguam deprimat. Hæc veteribus græcis duobus appellatur nominibus, γαργαρεών & κίων, id est, gurgulio & columna. Posteriores autẽ ferè oẽs κιονίδα, hoc est, columellam vocãt. Sępe admodũ inflãmatione afficitur, id quod ex influxu humorũ ad illam contingere solet. Visu appreheditur potissimũ passio, accedítque in deglutiendo difficultas, dolor, tumor partis patiẽtis, & febris. Victus ratio talis sit, qualis in cæteris ferè inflãmationibus. conuenit autem præcipuè quies inediáq;. Curãdi verò ratio si plenitudo affuerit, ætásq; & alia permiserint, à venæ sectione auspicãda erit. Incidenda autẽ primùm vena in cubito exterior, quã humeralẽ vocant, deinde ea q̃ sub lingua est. Aluus etiã clysteribus subducenda, vt hac ratione non tantum vacuentur, verumetiam auertan

columella. causa. signa. victus. curatio. venæ sectio. Auersio.

tur à loco patiente, humores confluentes. In quem vſum etiam conuenit ſcapulis affigere cucurbitulas. Neque hic negligenda ſunt auxilia quæ fluxum reprimũt, qualia ſunt quibus adſtringendi facultas ineſt. vtendũ itaq; hac collutione, quæ ℞ ſucci roſarum, plantaginis, prunellæ, oxalidis, ſolani añ ℥ ii. diamorôn, rob de ribes añ ℥ s. rob de oxyacantha, quam berberim vocant, ʒ ii. aceti in quo rhus, hoc eſt ſumach, maceratus ſit, ℥ i. ſucci malorum granatorũ ℥ s. miſce, fiat collutio. Vel hoc gargariſmo, quod ℞ roſarũ rub. rubi, añ M i. balauſt. corticis malorum punicorum, gallarum, glandium, añ ʒ iii s. rhois, hoc eſt ſumach, hypocyſthidos añ ʒ i s. ſe. oxalidis, ſe. citoniorum añ ʒ i. Decoquantur in ℔ i. aquæ fontanæ, dum altera pars abſumatur. colaturæ adiice diamorôn ℥ i. rob nucum viridium ℥ s aceti optimi ʒ vi. miſce, fiat gargariſmus. Et iis quidem in principio vtendum: & tum maximè, vbi affectus nõ habuerit maiorem cauſam, nec ægri corpus multis humoribus refertum fuerit, aut particula affecta, naturâ debilis. Sin contra accide rit, ſæpe quidem in principio, ſæpe verò paulo pòſt, id eſt, in tertio die, quippiam ex diſcuſſoriis cõmiſcendum erit, vt eſt ſemẽ lini, fœnigręci, & althęæ, radix iridis, atque mel. Omnia autem hæc tepida ſunt exhibẽda: frigus enim nõ tolerãt inflãmata. Si verò in vi-

Reprimẽtia.

Gargariſma.

gorem puenerit paſſio, gargarizet decoctionem furfurum calidam, aut decoctum glycyrhizæ, hyſſopi & ficuum. hæc enim non solũ diſcutere, verumetiam mitigare malum poſſunt. Extrinſecùs proderit, ſpõgiis oleo amygdalino madefactis & expreſſis fouere ceruicem: Aut lana mollis oleo tincta, collo circumponenda. Cataplaſmata quoque ex farina hordei, aut ſemine lini, aut fœnigręci, aut ex iis ſimul mixtis admouenda.

DE ANGINA. CAP. II.

Cynanche & Synanche Gręcis, Latinis verò angina, propriè eſt inflãmatio, quæ in gutture vel faucibus fit: ſic dicta ἀπὸ τοῦ κυνάγχειν ἢ συνάγχειν, hoc eſt, à ſuffocando. quoniam peſtiferũ & acutiſſimum ſit malũ, quod ſtrãgulatu præſentaneũ vitæ diſcrimen inferre ſolet. Hippocrates tamen & alii veteres, omnes paſſiones iis locis accidẽtes, quas ſpirandi difficultas comitatur, anginę nomine appellant. Súntque eius propriè loquẽdo, quatuor differentiæ: vna, vbi fauces inflãmãtur: Altera, quum neque fauces, neq; reliquæ oris partes, neque etiam externarum partiũ vlla inflãmata videtur, æger tamen ſuffocationis periculũ in gutture ſentit. Tertia, vbi gutturis partes tum externæ, tum internæ ſimiliter inflammãtur. Quarta, vbi ad anteriorem regionem ceruicis vertebræ luxãtur, vnde cauus apparet locus, & dolorem quũ tan-

κυνάγχη καὶ συνάγχη.

gitur, ęger sentit. Recentiores, vt Paulus lib. 3. cap. 27. & alii quidam, inter cynanchen & synanchen, item paracynanchen & parasynanchen, discrimen fecerũt, quod tamen Galenus lib. 4. de Locis patientibus cap. 5. reprehendit. His itaque synanche dicitur inflãmatio, quæ in interioribus fauciũ musculis oritur. Quæ verò in exteriorib9 earũdam musculis fit, parasynanche iisdẽ nominatur. Eodem modo & in gutture se habet. si enim interiores eius musculi inflammatione cõflictẽtur, cynanche: si autem exteriores, parasynanche his ipsis appellatur. Oriũtur à sanguine copioso ac calido præter naturam ad loca iam commemorata confluente. Cognoscuntur iis notis. spiritus nõ nisi recta ceruice, aut difficulter trahitur. Nonnullis febris oritur, dolor, faciei rubor, & colli. Ad hęc tumor etiam in quibusdam superuenit. Aeger ore hiat: cibum non deuorare, nõ potionem potest. In principio itaq; præceps ac compendiariũ auxiliũ omnis angina requirit. Protinus igitur cubiti venam exteriorem eiusdem lateris incidere oportet, nisi quiddam maioris periculi impediat. Parcè autem, & pluribus interpositis vicibus, nõ vniuersim, sanguis auferẽd9. quippe cumulata vniuersimq; facta euacuatione, anima ipsis deficiẽte, suffocatiõis periculũ superuenit, dum materia in affectã partem vbertim prorumpit. Curãdum etiam vt

[Margin notes: συνάγχη; παρασυνάγχη. — causa. — signa. — curatio. — venæ sectio.]

modica fiat venę diductio. Nam quum in aliis, tum in magnis venę diductionib. aceruatim animi defectus irruit. Neq; tamen angustiorem facere venę incisionem conuenit, ne sanguis velut percoletur, & crassior eius pars intus remaneat. quę causa huius passionis existit. Si per hęc parum proficitur, eas quoque venas incidere cõuenit quę sub lingua sunt, ídque primo statim die. Quòd si quid venæ incisionem fieri prohibeat, aluus acriore clystere, qualem in cap. de apoplexia descripsimus, subduci debet. Post vniuersales aũt euacuatiões, cucurbitas apponere oportet. Et si quidem tumor circa maxillas, aut sub mento persistat, in ipsum tumorem, & cum scarificatione plurimum sanguinem extrahere, saléq; respergere scissuras, & cõfricare. Quòd si nullus extrinsecùs appareat tumor, retro in collo iuxta primã vertebram cucurbita infigenda erit, & cõstanti attractione vtendum, frequentiúsque cucurbita auellenda. Auertendi etiã humores, ne ad locũ affectum cõfluant. in quẽ vsum pedes aqua calida foueri debẽt, extremę partes validè deligari & fricari. collum quoq; lanis oleo calido imbutis cõtegatur. Gargarizandũ etiam statim per initia ex iis quæ cap. I de columellæ inflãmatione dicta sunt. Cũ morbus vrget consistítve, iis quibus discutiendi vis inest, vtendũ properè pręsidiis. vt est decoctũ fœnigræci, ficuum, pas-

clystes.

cucurbitę.

Auersio.

Gargarismi.

ſularum glycyrhizæ: vel valentiorum iridis radicis, hyſſopi, nigellæ, abrotani, cum oxymelite. Tale itaque gargariſma proderit, quod ℞ glycyrhizę decorticatæ ℥ i. paſſularum ℥ s. ficuum aridarũ numero vi. fœnigręci ʒ ii. hyſſopi, abrotani añ ℳ s. Coquãtur in ℔. i. aquæ fontanę, vſque ad medietatis cõſumptionem. colaturę adiice mellis roſacei colati ℥ i s. oxymelitis ſimplicis ℥ i. miſce, fiat gargariſma. Item ſtercus caninũ aridum contuſum, & cum melle perunctum, præſtantiſſimum eſt remedium, atque huius generis album maximè: tum hirundinũ ſimiliter cinis efficax eſt. Foris ceruici etiam adhibeantur, quæ diſcutere valent cataplaſmata & emplaſtra, quale eſt quod ℞ farinę ſeminis lini, fœnigręci, hordeaceę añ ℥ i. ſe. altheæ ʒ ii. maluę flor. camomillę, meliloti añ ℳ i. ferueant in aqua, donec molleſcant: dein in mortario cõtundantur, adiectis oleorum chamęmelini, liliorũ alborum añ ℥ i s. fiat cataplaſma. Non inutile eſt, ſi collũ oleis, chamęmelino, anethino, liliaceo inungatur, aut decocto fœnigręci, meliloti, chamęmeliq; foueatur. Qui angina infeſtantur, triduo aqua mulſa pro cibo vtãtur: inde ptiſanę cremore per ſe, aut cum ſuaui quadã potione. Pręditus enim eſt is ſuccus facultate extenuandi, diſcutiendi, alendi, & refrigerãdi. Deinde vbi inflammatio imminuta fuerit, & ægri melius iã deglu

Gargariſma.

Cataplaſma.

Victus.

tire cœperint, ouorũ lutea perliquida, ac ſorbitiones ex alica exhibebis. In ſumma, cibi ægri viribus reſpondeant. ideóq; immodica alimenta vitanda. Somnus quoque, vt in omnib. aliis inflammationibus, ſic in angina omnium maximè fugiendus. nam Hippoc. teſte, ſanguis in ſomno intrò magis repit.

DE TVSSI. CAP. III.

Tuſsis variæ ſunt cauſę. Nam intemperies frigida reſpirationis inſtrumẽtorum, tuſsim efficit. Humor etiam à capite in aſperã arteriam diſtillans, & ſola aſperitas mẽbranæ aſperam arteriam intrinſecus ambiẽtis, tuſsim irritant. qui præterlabũtur etiam potus & cibi, tuſsim mouent. Lumbrici quoque ſtomachum infeſtantes, tuſsiculas paruas excitant. Acris deniq; humor ſtomachum perturbãs, ac irritatiuam aliquam qualitatem ad fauces demittens, tuſsim producit. Humor etiam in pulmone & thorace detentus, in morbo laterali, inflammatione pulmonis & tabe, maximæ tuſſis cauſa exiſtit. In ſumma, quicquid aſperam arteriã exaſperare poteſt, veluti fumus, puluis, & eiuſmodi, tuſsis cauſa eſſe poteſt. Signum autem ob ſolam intemperiem frigidam tuſsientium eſt, ſi per crebras inſpirationes irritentur, frigiditate videlicet exinde intenſiore facta & aucta. Facile deniq; ſũt pallida, ſiti nulla premuntur, calidis optimè, frigidis malè afficiuntur. Moderatè & mini-

Cauſæ.

Signa.

mè violenter tuſsiūt. Id quod 6. Epid. 2. par.
" Aphoriſ. 12. ſic ſcribēs teſtatur Hippocrates:
" Tuſſes ſiccæ, leuiter irritantes, nō à maligno,
" ſed vento potius accidūt Id verò hinc mani-
" feſtum fit, quando loquuntur, aut os aperiūt,
tunc tuſsiunt: cum verò nō, minimè. Quæ ve
rò cum titillatione partium ab vtraque pala-
ti parte contingunt tuſſes, palàm oſtendunt
defluxum à capite ad aſperā arteriam defer-
ri, itémque ad pulmonem. Id quod ex diffici
li, quæ comitatur, ſpiratione deprehenditur.
Quòd ſi ſic affecti nihil expuāt, tenuem de-
fluxum indicat, qui expulſione ſpiritus diſſe
ctus, præ tenuitate ſua rurſus fluxū reflectit.

Victus. Ratio victus iuxta cauſarum diuerſitatem variabitur. Si enim ex frigida intemperie inſtrumētorum reſpirationi deſeruientium orta fuerit tuſsis, aër & ventus, cibi & potus frigidi vitandi erunt. Sin ob humorem à capite deſtillātem excitabitur, talis ſit victus ratio, qualem ſuprà in cap. de Deſtillatione deſcripſimus. In vniuerſum verò ſalſa, acria, & quęcunque arteriam exaſperare valent, vitanda.

Curatio. Tuſsis ex frigiditate orta, per ea quæ inſtrumēta reſpirationis calefaciūt curabitur. Ceruix itaque lanis calidis veſtiatur: rarò inſpirandum, adeò vt non ſolum per ſpiritus compreſsionem retinere queant ægrotātes & impedire tuſsim, ſed ſanare etiā ſæpiſsimè, per reſpirationis inhibitionē frigefactas parti-

culas calefaciẽdo. quapropter si hi leniter inspirant & aërem attrahũt, ac in calida domo versantur, parum vel omnino nihil tussiunt. Thorax etiam calidis vnguẽtis, vt est oleum irinum, liliorũ alborum, anethinum, & eiusmodi. Si verò humor tenuis & acris ex capite in thoracẽ destillans tussim excitauerit, tum per cibos potiss. boni succi, & per medicamẽta quæ refrigerant, spissant, & acrimoniam mordacitatémque arcent & obtundunt, curabitur. In hũc sanè vsum cõuenit exhibere syrupũ violaceum, nymphææ, de papauere cõfectiones diatragacãthę, diapenidii sine speciebus, pilulas, bechicas, & eiusmodi. item ea etiam medicamenta, quæ à veterib. dolorem leuantia & arteriaca dicuntur. de quibus Galen⁹ copiosissimè scribit lib. 7. de cõp. med. secundum locos. Potissimum autem hoc cõferet, quod ℞ cõseruæ violarũ, & nymphææ añ ℥ s. diatragacãthę frigidę, diapenidii sine specieb⁹ añ ʒ vi. succi glycyrhizæ ʒ ii. pilularum bechicarũ ʒ i. styracis calamitidis ʒ i s. myrrhæ, rosarũ siccarum añ ʒ i. tragacanthæ, nucum pinearũ añ ʒ s. cum syrupo violaceo quod satis est, fiat eclegma. Conueniunt etiã quę suprà in cap. de Destillatione dicta sunt. Si autem crassus aut viscosus fuerit affligens humor, per ea quæ extenuant & incîdũt, medebimur. Exhibebimus itaq; syrupos de glycyrhiza, de hyssopo, de prasio, de calamin-

Tussis à tenuibus & acrib. humoribus curatio.

Eclegma.

Tussis à crassis & viscosis humoribus curatio.

Decoctũ tha, & similes. Aut decoctũ hoc, quod ℞ radicum iridis, petroselini, glycyrhizæ añ ℥ i. radicis inulæ campanæ vocatę ℥ s. caricarum numero vii. passularum mundatarum ℥ i. se. vrticæ, anisi, fœniculi añ ʒ ii. hyssopi, adiãti, scabiosæ, prasii, añ M i s. agarici optimi ʒ iii. Decoquantur in aqua fontana iustæ quantitatis, donec tertia pars absumatur. Dein colẽtur, & colaturę adiiciãtur syrupi de hyssopo, de prasio añ ℥ ii s. misce, fiat potio. Posthæc,

Purgatio. si videbitur vtile, corpus per ea quæ crassos & glutinosos humores purgãt, vacuandũ. Inter alia verò multa, quę suprà dicta sunt, vnicè cõfert agarici dilutum, quod sic fit. ℞ agarici electi ʒ ii. zingiberis ℈ i salis gemmæ gr. iii. macerẽtur per noctem in vini albi odoriferi ℥ ii. succi absinthii & fœniculi añ ℥ i. Mane colentur & exprimantur, & dissoluatur in iis eclegmatis indi ʒ ii. oxymelitis scyllitici ℥ s. & fiat potio. Vacuato corpore, eclegmata (quę officinis Loch appellãtur,) exhibenda, de pino, sanum & expertũ, de scylla, diairis solomonis cõfectio, & similes, quę singula in

Agarici dilutum.

Loch. hunc modum coniungenda sunt. ℞ loch de pino, sani & experti, de scylla añ ʒ ii s. diairis solomonis ℥ i. trochiscorũ pectoralium ʒ i s. pulueris diapenidii cum specieb. ʒ i. pulueris radicis inulę, iridis añ ʒ ii s. succi glycyrhizę ʒ i s. cum syrupo de prasio quod satis est, fiat eclegma. Thorax extrinsecùs inũgatur oleis

calidis liliorum alborũ, irino, amygdalarum dulciũ, adiectis pinguedinib. & aliis, in hunc quidem modum. ℞ oleorum liliorum alborum, amygdalarum dulcium añ ℥ iii. pinguedinis gallinæ ℥ i. butyri recentis ℥ ii. muci fœnigræci, radicis althææ añ ℥ I s. styracis calamitidos ℥ s. pulueris radicis inulæ, iridis añ ℥ i. croci ℈ s. cum cera, quod satis est, fiat vnguentum. Reliqua quæ ad tussis curationem requiruntur, ex capite de Destillatione petẽda erunt.

Vnguentum.

DE ASTHMATE. CAP. IIII.

Qui citra febrem crebrò respirant, quemadmodum solent qui citatiore cursu fatigati sunt, eos medici Græci Asthmaticos, Latini Anhelosos & suspiriosos vocare consueuerũt. Eosdem etiam propterea, quòd thoracis corpus penitus rectum habere coguntur ob suffocationis timorem, orthopnoicos nominant. Fit autem Asthma, quum aut crassorum humorum ac viscosorum multitudo pulmonis bronchiis fuerit infarcta, aut tumor quispiã abscessui similis in ipso constiterit. Similiter autẽ difficulter spirant, qui asperam arteriã à multa destillatione habent repletam. Facilè autem inuicem hæ passiones distinguuntur. Nam destillatio etiam sanis ex manifesta causa repentè accidit, in totum ferè citra febrem, concomitantibus etiam propriis destillationis signis. Si verò tumor abs-

Asthmatici. Suspiriosi. Orthopnoici. Causæ. Signa.

cessui similis in pulmone fiat, necessariò febris consequitur: neque ita diu pòst, inflammatione in pus trãsmutata, pus reiicitur cum tussi. Si autem crudum tuberculũ gignatur, hi neq; grauitatẽ magnã sentiunt, neq; difficultate spirãdi admodũ infestãtur. Qui propriè asthmatici & orthopnoici appellãtur, in totum febrem non habẽt, grauitatis verò sensus eis cõtingit, neque quippiam purulẽtum per sputum reiectãt. Victus ratio in vniuersum calida & sicca sit. vitandus itaque aër frigidus & humidus. vtendum carnibus perdicum, auicularum montanarum, gallinarum, caponũ, & similibus. Fugiẽdi pisces, fructus, item legumina, & omnia alia quæ crassos ac glutinosos humores procreare possunt. vtendum frequenter hyssopo, oreoselino, & fœniculo. vini autem potio ambabus cõuenit affectionibus, saltem tenuis substantiæ. In vniuersum autem paucus potus cõuenit, quibus abscessus oboritur: multus verò, quibus brõchia tenacib9 & crassis humorib. sunt obstructa. Etenim hos humores repurgantia medicamenta necessariò tusses commouẽt. verùm non facilè per sputum reiicitur ob crassitudinem, id quod repurgatum est: humectatione igitur multa indiget, quò faciliùs efferatur. Exercitio vtendũ ante cibum, aut nõ subitò, quòd multi hac ratiõe extincti sint. Frictiones etiam thoracis prosunt. Fugiat æger irã,

Victus.

mœrorẽ, & alias animũ vehemẽter perturbã tes affectiones. Porrò curatio prędictarum passionũ quiddam cõmune habet, quiddam etiã propriũ: commune quidẽ vtrisq;, vt redũ dantia humoris has passiones generantis cõ sumatur & aboleatur. Proprium autem, vt si à crassis ac tenacibus humoribus fiat passio, per extenuantia & extergentia medicaméta sanetur. Si verò à tumorib. abscessui similib⁹ oriatur passio, per extenuantia & exiccãtia. Quæ sanè curandi ratio omnibus in profun do corporis abscessibus cõmunis existit. In crassis itaq; & tenacibus humoribus, conueniunt extenuantia & abstergẽtia citra vehementẽ calefactionẽ. ab immodico siquidem calore, quemadmodũ etiam frigore, prędicti humores magis crassescũt, cogũtur, & cõtrahũtur, ita vt subinde difficulter auelli abstergíve possint. Quapropter maximè prodest eis oxymeli scylliticũ, ipsáq; scylla assa, cum melle trita & delincta. Syrupus itẽ de glycyrhiza, de prasio, aut hyssopo, & decoctũ quod supra in cap. de Tussi commemorauimus. Quod ad euacuationẽ attinet, si necessitas vrgeat, vena in cubito media, aut interna ante hęc omnia incidẽda, & tantũ sanguinis quãtum vires patiũtur detrahendum. Sin corpus plethoricum non fuerit, facta humorum ad euacuationem præparatione, medicamenta, quæ crassos & tenaces humores vacuare pos-

Curatio.

Præparatio.

Venæ sectio.

Purgatio.

ſunt, frequẽter exhibẽda. Cõueniunt in hũc vſum pilulæ de agarico, & cocciæ. Confectio diaturbit cũ rhabarbaro, eclegma indi, diaphenicôn. Dandũ etiam dilutũ agarici, quod præcedenti cap. deſcripſimus. Aluus quoque clyſteribus fortibus eluẽda. Vomendũ etiam per ĩteruaIla ex ſumpta radicula, & aliis quæ vomitum mouent, de quibus diximus lib. 1. cap. 20. Intereà dum frequẽtior fit purgatio, exhibenda etiam medicamenta quæ ſenſim & paulatim extenuare ad diſcutere humores in thorace poſſunt. Intra corpus quidem, ariſtolochia rotũda, inulę & iridis radix, ſemen vrticæ, hyſſopus, nigella, calamintha, & eiuſmodi, ex quibus decocta vel eclegmata conſtruenda. In hunc vſum loch, quæ in cap. de Tuſsi recenſuimus. conuenient. Thoraci foriníecùs cataplaſmata ex ficub. & hordeacea farina, cui adiecta ſit reſina, cera & mel, imponẽda. Vnguẽta etiam & olea magis calefacientia, irinũ, anethinũ, & rutaceũ admouenda thoraci, in hũc cõfecta modũ. ℞ oleorum anethini, rutacei añ ℥ iii s. adipis anatis, gallinæ añ ℥ ii. radicis iridis, inulæ añ ʒ 1. ſe. lini ℈ 1. ſtyracis calamitidos ʒ iii. cũ cera, quantum ſufficit, fiat vnguentum. Thorax tamen nunquam non anteà fricandus pãno aſpero, quò apertis meatibus facilius vis medicamentorum ad profunda penetrare poſsit. Cęterùm abſceſſus qui attenuantib. & reſiccãtibus in-

Cataplaſmata.

Vnguentum.

Abſceſſ⁹ curatio.

digent, vt diximus, maximè aromatum gaudent facultatibus, quas omnes cõstat esse tenuium partium & resiccatorias, nec non calefacere. Conuenient itaque tum theriaca, mithridatis cõfectio, diamoschi dulcis, aromatici rosacei, & similes.

DE PLEVRITIDE. CAP. V.

Pleuritis est inflammatio membranę, intrinsecus costas succingẽtis. Fit ex sanguine copioso calido, vt aliæ inflammationes, ad membranas prædictas præter naturam confluente. Huic accedit spirandi difficultas, tussis, febris continua, dolor vehementer pũgens, pulsus durus, & serræ modo asper. Et si sputum rubrum & cruentum fuerit, sanguinem superare significat: sin flauum & subpallidum, flauam bilem. Quemadmodũ rursus, si album fuerit, & leuiter spumosum, pituitã: nigrius verò, melancholiam in sanguine pręualere monstrabit. Succo ptisanæ primis duob. dieb. contentus in cibo sit æger: Dein cum ptisana amygdalæ mundatæ & tritę decoquantur, ídque matutino potissimum tempore. vespere sumat lac amygdalarũ, aut panis puri micas cum iure gallorum, maximè vbi ægri vires imbecillas videris. Pisces etiã saxatiles in declinatione potissimum morbi dare conuenit. Acerba & adstringentia omnia vitanda. Potus sit, aqua decocti cinnamomi. Frigidam aquam, quod sputum incrude-

πλευρῖτις
causa.
Notæ.
Victus.

scere faciat, vitabit æger. Decumbat in latus
curatio. affectum, irámque & mœrorem fugiat. curandi ratio cõfestim à venæ sectione incipiẽda. secanda verò vena cubiti interna in bra-
venæ sectio. chiò è directo posito. hęc enim non solum à loco affecto retrahit, verùm etiam euacuat, vt in nostra apologia ea de re conscripta fusissimè demonstrauimus: id quod in pleuritide & aliis inflammationibus internis maximopere requiritur. Eousque autem detrahẽdus sanguis, donec vel multo rubicũdior,
2. vict. acut. 10. teste Hippocrate, vel pro puro rubidóque li-
clyster. uidus effluxerit. Dein clyster aluo infundatur leuis, si non vt conuenit, sua sponte deiiciat. qualis est qui ℞ maluę, foliorum violarum, mercurialis, spinachiæ, intybi domestici vtriusque añ M i. hordei integri ℥ i. coquantur in aqua iustæ quantitatis, quoad tertia pars absumatur. ℞ colaturæ libram vnam, casiæ recens extractę ℥ i s. oleorum chamæmelini, violacei añ ℥ i s. butyri recentis salis
Fomenta expertis ℥ s. salis communis ʒ i. misce, fiat clyster. Forinsecus à corporis vacuatione calorifica ac dolorem leuantía fomenta adhibenda erunt, vt sunt sacculi ex floribus chamæmeli, anethi, meliloti, phlomi (tapsum barbatum nominant) seminibus lini & fœnigręci, milio & furfure compositi. Aqua etiã calida, aut decoctum prædictorum medicamentorum, aut olea calida in vtre, vesica, vel

vasculo adhibẽda. Quinetiam vtiliter admouetur spongia magna mollísque iam dictis rebus intincta, & subinde expressa. Vestienda verò fomenta sunt, vt eorum vis non celeriter euanescat. In hunc etiã vsum cõuenient emplastra, in eum modum composita. ℞ florum chamęmeli, verbasci (tapsum barbatum vocant) anethi añ M s. seminis lini, fœnigræci añ ℥ iii. seminis anisi ℥ i. farinæ hordei p. i. Bulliant in aqua vsque ad mellis crassitudinem. Dein adiice oleorum chamæmelini, anethini, nardini añ ℥ i s. Bulliant denuò, & addantur duo vitelli ouorum, croci ℈ i. & fiat emplastrum. Post septimum diem, si eodem modo dolor persistat, cucurbita lateri affigenda est, & cutis scarificanda. Manifestissima enim in pleuriticis vtilitas ex cucurbitæ appositione apparet. vulnuscula autem scarificati loci sale inspergenda, si ęgri sustinere queãt. in aliis verò linteolũ oleo madefactũ ac sale cõspersum imponatur. Sequenti deinde à scarificatione die, optimum est rursus cucurbitã affigere, quò sanguis saniosus ex impactis vulnusculis extrahatur. Non negligat etiam medicus exhibere intra corpus ea quæ ad sputi facilem excreationem faciũt medicamenta, vt sunt diapenidiôn, diatragacanthôn frigidum, saccharum violaceum, trochisci pectorales, adiectis etiam interdum loch & aliis in cap. de tussi cõmemo

Emplastum.

Curcurbita.

Sputi eductionẽ facilẽ facientia.

ratis. Extrinſecùs adhibenda medicamenta, quib. diſcutiendi ineſt facultas, vt ſunt fœnũgræcum, anethũ, melilotum, hyſſopus, & ſimilia iam ſępe commemorata. Quòd ſi permutationis in pus ſigna appareãt, coadiuuare permutationem oportet. hoc aut ſimili vnguẽto: quod ℞ oleorũ chamęmelini, amygdalorum dulcium, liliorum alb orũ añ ℥ iii. butyri ſalem non experti, pinguedinis gallinæ añ ℥ ii. muci fœnigræci, ſeminum lini, althææ añ ℥. ceræ quod ſatis eſt, fiat vnguentũ. Ruptâ phlegmone, ea quę extergent atq; purificant à pure ac ſanie, exhibẽda: vt eſt aqua mellis, aut decoctum hordei, aut ſacchari rubei. Facta abſterſione puris & ſaniei, glutinãtia adhibenda medicamenta: de quibus omnib. in cap. de phthiſi copioſè dicemus.

suppurationé iuuantia. vnguentum.

DE PERIPNEVMONIA. CAP. VI.

Peripneumonia eſt inflammatio pulmonis, cum febre acuta. Hæc plurimum ex vaſentibus in pulmonem deſtillationibus, aut angina, aut aſthmate, aut pleuritide aliíſve morbis cõtrahitur. Aliquando etiam ipſa inflammatio paſsionis origo eſt. Hunc affectum ſubſequitur difficultas ſpiritus, febris acuta & ardens, grauitas diſtenſióque thoracis citra dolorẽ. quòd ſi pelliculæ ipſius, quæ cum thorace ſecundum longitudinem ipſius ſunt connexæ, fuerint inflammatæ, etiam dolorem percipiunt. Malæ in his rubent, na-

cauſæ.

ſus in ſummo fit ſimus, venæ temporum eleuantur, oculi intumeſcunt, proſtratus eſt appetitus, linguæ adeſt ſiccitas: aquæ frigidæ, magis autem aëris frigidi cõcupiſcentia, expiratio calida, tuſſis ſicca. si verò quid efferatur, ſpumoſum eſt ac bilioſum, ampliúſque cruentum & floridum vehementer. Quòd ad cibum attinet, dãda eſt peripneumonicis ſorbitio ex ptiſanæ cremore cum melle, origano aut hyſſopo. magis enim quàm in pleuritide, extenuatoriis cibis opus eſt: chondrus etiam ſeu alica cocta ex aqua mulſa iis cõuenit. Potus exiguus ſit quantitate, humiditas enim nocet pulmoni. Poſſunt virtutis tuẽdæ gratiâ, potiſsimũ ſi ſuffocatio vrgeat, vti mulſa per ſe, & cum nucleis pineis: aut mulſa, in qua decoctũ ſit hyſſopum, aut iris ſicca aquę mulſæ inſpergenda. In vniuerſum autem victus ratio eorum, qui peripneumonia afficiũtur, eadem ferè ſit, quæ pleuriticorum. In iis, qui ex aliis morbis in hũc incidũt affectum, ſanguinis detractio vitãda eſt, maximè ſi diu malum hoc durauerit, vel ſi per initia ſanguinem miſerint. Aluus clyſteribus ducenda, ſi ęgrè deiicit: aut cucurbitulę, vbi nihil obſtat, thoraci & lateribus admouendę ſunt, eæque pergrandes & multæ, cute inciſa. Sin autem peripneumonia ſtatim ab initio inuaſerit, cõfeſtim vena in cubito interna ſecanda eſt: & ſi ſuſtinuerint vires, ex vtroque brachio ſan-

Victus.

Curatio.

guis extrahendus: primum quidē modicus, & non vsque ad animi defectionem, vt vide licet asseruetur ad repetendam extractionē. Si verò quid prohibeat venæ sectionē, cucurbitulas certè vniuerso thoraci lateribúsq; affigere oportet, iísque tantum sanguinis eliciendū, quantū vires patiuntur. Aut acri clystere aluum eluere conuenit ex decocto nimirū hyssopi, iridis, rutæ, adiecta colocynthide, sale & aliis quæ suprà in cap. de Apoplexia dicta sunt. Post hęc curādum, vt sputi eductio quàm celerrimè & facillimè fiat. in quem sanè vsum ea quę suprà in cap. de pleuritide memorata sunt, eclegmata, vnguenta, & emplastra conueniunt: tantùm in eo diuersa, quòd hic omnia valentiora, & maiori extenuādi facultate prædita esse debent. Conuenient itaq; loch, decoctū hyssopi & iridis, oleum rutaceū, nardinúmq;: ceratū ex oleis iā dictis, terebinthina, medulla ceruina, iride & hyssopo tenuissimè tritis confectum, thoraci & lateribus impositum.

Sputi eductio.

DE CRVENTO SPVTO. CA. VII.

ἁιμοπτόης. ἁιμόπτυσις.

Hæmoptoes aut rectiùs hæmoptysis, est sanguinis spuitio seu reiectatio. Fit ex causa interdum externa & manifesta, nēpe delapsu ex alto, aut si grauiùs aliquod corp⁹ thoraci inciderit, clamore magno aut frigore (nā id rumpere venas scribit Hippocrates) & consimilibus: Nōnunquam ex occulta, veluti

plenitudine, aut oris venarũ apertione, aut 6.Epid.
earundẽ erosione. Venarum autẽ ora aperiũ par 3.
tur ob calidas dispositiones præcedentes, ve- Aph.10.
luti si calidis balneis plurimis vsus sit homo, habitétq; in calida regione, consimili existẽte maximè anni tempore, cibis quoq; & potionibus calidis vtatur. ipsa verò vasorũ erosio ex acribus contingit humoribus, siue à capite in pulmonem delabentibus, seu in ipso pulmone generatis. Porrò sanguis modò ex thorace & pulmone, aut aspera arteria educitur: modò ex aliis locis, oris, aut gingiuarum, aut faucium, aut columellæ, aut ventriculo, ad quem ex venis ac partibus adiacentibus, iecore nimirum & liene, sanguis delabitur. Causę externę & manifestę, è sermo- signa.
nibus ægrotantis aut asidẽtiũ cognosci possunt. Si ob plenitudinẽ accidit, tum cõfertim sanguis reiicitur: At si propter oris venę apertionẽ, tũ ea quę diximus pręcesserũt, & neque inflãmationes, neq; febres, neq; labores torquẽt, sicut in iis euenit qui ob excesas venas sãguinẽ expuũt: sed cõtrà vacuati melius leuiúsque agũt. si verò ex venarũ erosione cruentũ sputũ editur, nõ confertim, sed paulatim sanguis reiicitur, & semp peius habẽt. Cęterũ sãguis qui spumosus & subalbidus atq; ex ĩteruallo cũ tussi absq; dolore reiicitur, ex pulmone fertur. si verò pituitosa cũ tussi leuiore reiiciãtur, ex aspera arteria ꝓdire scito. si ater sã

guis & in grumũ cõcretus fuerit, dolorémq; in loco intendat, ex thorace educi significatur. si verò ex locis circa fauces aut columellam sanguis feratur, per excreationes excernitur: si verò ex aliquo loco oris aut gingiuarum, simpliciter expuitur. accidit autẽ nõnunquam per palatũ sanguinem educi, propter hirudinem deuoratam, & alicui indidẽ particulæ adhærescentem. id quod localis dolor qui concomitatur patientem particulam, & sanguis ipse qui tenuis est & serosus, ostẽdẽt: si ex stomacho eductio fiet, non magna sanguinis eruptio cõtinget, graciles enim stomachi venæ: si verò ex iecore & liene sanguis in vẽtrem deferatur, aderit tumor: si autẽ à capite sanguis feratur, titillatio palati accidit, & frequens excreatio, atque hoc modo expuunt. irritãtur enim ad tussim, & tamen non valde tussiunt. Sanguis etiam colore niger est, mixtus cum aliquo pure vel pituita, & cum excreatione statim se in linguam infert rotũdus, faciléque reiicitur per sputum.

victus. Victus ratio sit talis quę moderatam quandam adstringendi facultatem obtineat. vtatur itaque oryza, alica, frumentaceísque aliis cibis, quibus succus mali granatorum, aut pyrorum adiectus sit. conuenient ex carnibus columbæ syluestres, turdi, perdices, si cum omphacio seu vua acerba, rhoe obsoniorum coquantur. Vtendum etiam cotoneis, pyris,

pomis adstringẽtibus, moris rubi, & aliis suprà in capite de Profluuio sanguinis narium memoratis. Bibẽdum vinum crassum rubeũ, aut pro eo aqua, in qua chalybs ignitus extinctus est. Cauendum ab iracundia, clamore, frequenti locutione & omni corporis motu. Curãdi ratio iuxta causarum diuersitatẽ variatur. Si enim à capite feratur sanguis, simplicior & exigua sufficit curatio: adstringentia enim per collutiones palato adhibita frigida, nisi quod defertur multum sit, curationem perficient. quæ sanè ex cap. de Columellæ inflammatione petenda sunt. Multum enim si à capite defluxerit, euacuatione sanguinis per nares, aut venæ alicuius incisione opus erit. Qui ob destillationem sanguinem expuunt, his statim in principio venam incidere oportet, ac pro virium modo sanguinẽ detrahere. Clystere etiã adhibito aluus euacuanda. Deinde frictis quàm plurimum brachiis ac cruribus, extremæ eorũ partes ligentur. Posteà verò capiti raso medicamentum cui exiccãdi & discutiẽdi facultas inest (quale est quod ex fimo syluestrium columbarũ cõstat) imponendũ. aliáque deinceps omnia, quæ destillationem reprimere & sistere possunt, de quibus suo diximus loco, adhibẽda. Qui ex pulmone sanguinem reiiciũt, ruptis scilicet venis, aut earundem oris patefactis, iis præcipiendum in primis, ne respirent val-

Curatio sanguinis à capite destillãtis.

Curatio eorũ qui ob destillationem sanguinẽ expuũt.

Frictio.

Curatio eorũ qui ex pul-

mone san dè, sonúmq; edant, & vt parum loquantur & guinem sileant. Incidere etiam statim venam oportet reiiciunt. in cubito internã, ac sanguinis detractionem bis aut etiã ter reiterare, paulatim reuellendi gratiâ. Non enim euacuatione copiosa indigent tales, nimirum à passione ipsa euacuati. In hunc sanè vsum frictionibus extremitatũ, & earundem cum latis linteolis constrictione & ligatura vtendum. Postquam hæc peracta fuerint, primùm quidem poscã dilutam & tepidam bibendam exhibere conuenit, vt si quis sanguinis grumus ĩ viscere hęreat, inde dissolutus eiiciatur. neq; quicquam obstat bis & ter in tribus horis hãc potionẽ iterare.

Adstringentia.

Post hæc autẽ, medicamẽta adstringentia & obstruendi meatus vim habẽtia, intrinsecùs & extrinsecus adhibeãtur. Per os quidẽ sumpta proficiunt portulaca comesta, succus autem eius bibitus efficatior est: succus plantaginis, polygoni, vuæ acerbæ, decoctũ rhois (sumach appellant) gallę, corticis glãdium, radicis rubi, balaustiorum, seminis oxylapathi, radicis equiseti, & aliorum quæ in capite de Sãguinis ex naribus profluuio dicta sunt.

Eclegma.

Vsus etiam sit huius eclegmatis, quod ℞ cõseruæ rosarum veteris, rob dè ribes añ ℥ I. diatragacãthi frigidi, diacotoneôn simplicis añ ℥ s. pulueris corallorum, lapidis hęmatidos, terræ lemniæ (sigillatam vocant) añ ℈ ii. boli armeniæ ʒ I. sanguinem draconis ʒ s. ba-

laustiorum, thuris añ ℥ s. cum syrupo myrthino, quod satis est, fiat eclegma. Extrinsecùs thorax ex vino adstringente oleisque cotoneorum, rosaceo, aut myrthino irrigandus. Si verò multa sanguinis eruptio fiat, maximè in æstate, & citra tussim eius reiectiones contingant, neque debilis sit æger, sed robustus & carnosus, acetum pro vino admouendum est spongiis exceptum. Proderit iam dictis òleis adiicere bolum armeniã, terram lemniam, corallos, & similia, ac cum cera componere vnguentum quale infrà lib. iii. cap. iii. describemus. Cataplasma quoque ex palmulis (dactylos vocant) acatia, symphyti radice, cortice mali granati, & lentium farina apparatum, adhibendum. Nec minus cõfert quod ex carnibus malorum punicorum, thure, corallis rubeis, balaustiis, bolo armenia, terra lemnia, & eiusmodi cõponitur. Maximum enim hoc est, cui diligẽter animum attendere oportet, vt mox factâ vasorum rupturâ, & dum adhuc cruentum est vulnus, concrescat priusquam inflammatio apprehendat. Etenim si inflammatio præuenerit, parum spei est ad huiusmodi vulneris conglutinationem, quippe quæ se in multos dies extendit: eluere enim oportet tũ pus tum serosum sanguinem ipsius vlceris, posteaquam inflammatio fuerit soluta: reliquam autẽ curationẽ, quemadmodũ in ta-

Vnguentum.

bidis fieri solet, ordinare oportet. Qui ab erosione sanguinem expuunt, iis primũ quæ acres humores in pulmonem destillãtes purgare possunt, medicamenta exhibenda, vt in capite de Destillatione dictum est. Deinceps ea quæ alterare & incrassare acres & tenues humores, atque adeò sistere destillationem valent, vt est syrupus violarum, rosarũ, myrtinus, miua cotoneorum, & alia quæ paulò antè memorata sunt. In hũc vsum interdum syrupũ de papauere, & alia narcotica & stupefacientia adhibemus. Destillatione cessante, corrosæ partes cibis boni succi, & medicamentis carnem generãtibus reficiantur. Porrò qui vomunt sanguinem, eâdem victus ac curandi ratione, quę anteà dicta est, vtantur, solâ hac curâ adhibitâ, ne crebrò cibum, aut potum sumant. quippe facilè curãtur, si auxilia quæ bibuntur, particulis ipsis sanguinem fundentibus applicentur. At sanguine in vẽtriculi instar grumi concreto, coagulum potandũ est, maximè leporinum, vel thymbra seu satureia cum aceto: vel ex aloë sic affecti vacuari debẽt. Qui per palatum sanguinem excreant, gargarizabunt ex adstringẽtibus, frontíque & capiti admouenda sunt quæ ex naribus sanguinem fundentibus accommodantur. Porrò postquàm omnia, vt postulat ratio, peracta fuerint, & sanguinis fluor substiterit, vires ipsis reficiendæ sunt, robúrque

Curatio eorũ qui ab erosione sanguinem expuunt.

Curatio eorũ qui vomunt sanguinem.

Curatio eorũ qui per palatum sanguinem excreant.

adhibendum. In primis autem cauendus frequens vsus balnei, vini potio, ira & venus.

DE EMPYEMATE. CAP. VIII.

Empyema, purulenta excreatio atq; suppuratio latinis dicitur. & empyici, hoc est, suppurati seu purulenti vocantur. Fit quãdo abscessus in membrana intrinsecùs costas succingente, aut aliqua alia thoracis factus aceruatim rumpitur, & in vacuum thoracis locũ effunditur inter pulmonem, & membranam costas succingentem. Interdum propter sanguinis eruptionem vlcere ad cicatricem non perducto, interim etiam propter cõfluxum ex capite & aliis partibus superioribus illuc manantẽ. vt in angina, iuxta hoc Hippocraticum, Quicunque ab angina liberantur, his ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt. si verò has effugerint, suppurantur.

ἐμπύημα. ἐμπυικοί. Causæ. 5. Aph. 10.

Cognosces autẽ suppuratos hoc pacto. Grauitas adest thoracis, tussis valida siccáq; cum dolore, alîquando etiam cum humiditate, ob quem releuari quoque videntur, febricula per initia affligit, languida, inordinata, & ad iudicandum difficilis. Postquam verò ruptura abscessus iam appetit, vehementiùs cum quodam horrore febricitant, ac in sermone conturbantur, offendũtúrque spiritu. Rupto abscessu aliquid in profundo thoracis transfluere apparet, iuxta multiplices reclinationis permutationes: & maximè quũ

Signa.

ab vno latere in alterum decumbunt, tunc sanè multitudo puris manifestatur, & fluctuatiõis cuiusdã sonitus sæpe sensibiliter in reclinationibus ipsorum auditur. Pus etiã educitur, nunc purum, nũc fœculentum. Erumpunt autem suppurationes, aliquę quidẽ sursum in vacuum videlicet thoracis locum, & hæ periculosiores existunt: aliquæ verò deorsum, & hæ quidem in aluum & intestina ac vesicam transfunduntur, per vasa quędã trãsmissione ad eas partes facta. Semper autem hectica febri laborant suppurati, quoad sursum omnia fuerĩt educta. Victus ratio suppuratorum talis sit. aërem inhabitẽt siccum. Cibis vtantur boni succi & cõcoctu facilib*, iure gallorũ, carnibus gallinæ, pullorũ, auiũ mõtanarum: iure etiam cicerum cum herbis hyssopo, & oreoselino, petroselinũ officinæ vocãt. Potus sit aqua mulsa, aut vinũ album ac tenue. Porrò nisi in iis summa adhibeatur diligentia, protinus purulenta illa collectio tabem accersit. Primùm igitur puris cõcoctio & digestio adiuuanda fomentis per spongias, cataplasmatis & emplastris ex hordei, fœnigræci, & seminis lini farinis, caricis pinguibus, columbarũ fimo, althęa, & resina modica cõpositis. Cerata etiam ex butyro, iride, baccis lauri & ruta cõfecta adhibẽda, & alia quę collectionẽ maturare & discutere possunt: qualia multa in capite de Asthmate

Victus.

Curatio.

dicta sunt. Posthæc, si malũ haud discutitur, quæ abscessũ rumpũt admouenda. Rupturã autem promouet in latus sanũ decubitus, sal sorũ esus, & catapotia illa dormituro data, quæ ℞ pulueris hieræ picrę Galeni ʒ i. pulpę colocynthidis ℈ i. cũ succo absinthii fiãt pipulæ, quarũ vna aut altera teneatur in ore. sic enim æger expuere conabitur, ac nimium expuẽdo abscessus rumpetur. Ruptione facta, diligẽter animaduertẽdum erit quò pus proreptet. eius enim excretionẽ adiuuare oportet. Quòd si ad aluũ proreptat, magis emollientia sint ea quæ offeruntur: Si verò ad vesicã serpat, ea quæ vrinam magis cient, adhibenda: Si verò per tussim puris repurgatio fiat, nihil cõuenientiùs aut familiariùs exhiberi potest, quàm ptisana optimo melle permixta. Possunt etiam ea abstergẽtia quæ partim in cap. de pleuritide dicta sunt, & partim subinde in cap. de Tabe dicentur, exhiberi. Cæterũ quæ vrinas cient, cibis cõmode admiscẽtur, vndecũq; tãdem puris excretio cõtingat. Ad puris verò repurgationẽ mirificè vtilis est aqua mulsa cũ iride, & plurima glycyrhiza decocta. Radicis etiã dulcis succus cõmanducatus prodest. conuenit etiã decoctum hyssopi, iridis, marrubii, & similium, quæ ex cap. de Asthmate petenda erunt. Porrò deinceps in curatione suppuratorum necessaria sunt, ea in sequent. cap. dicemus.

Rumpẽtia absces sum.

Pus repurgantia.

DE TABE. CAP. IX.

φθίσις. Tabes quam phthisin etiã Græci appellãt, propriè est corporis extenuatio, quę pul
Causæ. monis exulcerationem sequitur. Fit propter humoris acris & erodẽtis à capite in pulmonem defluxum: & quum puris aut sanguinis eruptio in suppuratis, peripneumonicis, &
Signa. pleuriticis cohibetur. Tabidi cognoscuntur corporis totius & carnium extenuatione, nares etiam iis acutæ, collapsa tempora, oculi concaui, spatulęq; instar alarum prominent.
5. Aph. 14. Tussiunt quoque ac febre hectica febriunt, difficulter spirãt, genæ liuescunt, vngues cur
5. Aph. uantur, pallidíque apparent. Malo vincente,
11. & 12. venter turbatur, sitis ipsos magis conficit, ca
curatio pilli defluunt, & id quod per sputum reiici-
cur difficilis. tur, vehementer fœdi odoris est. Difficillimè autem curãtur vlcera pulmonis, propterea quòd citra tussim non repurgantur. Tussientibus autem vlcus dirumpitur, atq; quasi circuitu quodam malum reuertitur. Medicamentorum præterea vires ad vlcus, priusquã in ventriculo permutentur, peruenire non possunt. Denique per respirationem pulmo semper mouetur, ac tussiendo lãcinatur. Vtcunque autem difficilis sit curatio, tamen nihilominus conandum, vt vlceratio illa curetur.
Victus. Primùm itaq; curandum, vt conuenienti victus ratione vtãtur tabidi. Aẽrem siccum & in calore & frigore temperatũ inhabitẽt.

Cibus illorũ sit ptisana hordei, lac amygdalarum, oua sorbilia, carnes auium montanarum, perdicum, phasianorum, merularum, turdonum, gallinarnm, caponum, vitulinæ, hædi lactantis: Pisces squamati, saxatiles, potissimùm verò cancri fluuiatiles. Lac verò inter omnia cibaria tabidis optimum, primũ humanum, dein asininum & caprinũ, quod ex mãmis, si fieri potest, sugatur, aut statim mulctum dum adhuc calet bibatur, quemadmodum fusissimè Galen. lib. 5. Ther. meth. docuit. Animaduertendum tamen, vt statim à lactis vsus alius cibus, potissimum verò vinum nõ sumatur, quod sic in ventriculo corrumperetur. Quòd si tamen impensè febricitarent, putrida maximè febre, lactis vsus nõ conduceret. Inter fructus prosunt passulæ, amygdalæ dulces, nuces pineæ, ficus, palmulæ (dactylos vocant) pistacia. Exercitia & motus vehementes deuitent, suauiter tum ante cibum deambulare haud incommodabit à cibo penitus quiescant. Somno vtantur nocturno & mediocri. Fugiãt iram, tristitiã, vigilias immodicas, famem, sitim, coitum, laconicũ, & quicquid corpus exinanire potest. Potus sit vinum aquosum & tenue: aut si febris est vehemens, cinnamomi decoctum, aut Hippocras vulgo nominatum, cuius cõpositionem pete ex cap. de Resolutione.

Curandi verò ratio si à defluxu humoris Curatio.

acris ex capite fit, à destillationis amolitiõe inchoanda erit, quam peculiari capite suprà docuimus: in præsentia, quę vlcerationẽ pulmonis curãt, docebim⁹. In primis igitur, quę abstergendi vi prædita sunt, & quæ, vt facilè pus sursum feratur, efficiunt, exhibẽda erũt. In quem vsum cõuenit hydromeli, decoctũ hordei cum saccharo & melle. Item hyssopi, iridis, caricarũ, adianti, & similium. Syrupus de hyssopo, prasio, & glycyrhiza. Si febris accedit, semina frigida prædictis cõmisceri haud inutile erit. Extrinsecùs admouẽda emplastra & cataplasmata ex semine lini, fœno græco, & aliis in cap. de Empyemate memoratis. Ex cap. etiam de Asthmate multa remedia ad præsentem vsum conducentia petẽda erunt. Absterso iã & à pure purgato pulmone, ea que vlcera eiusdem glutinare possunt, medicamenta sunt exhibenda. commendatur in hunc vsum ab omnibus saccharum rosaceum, quod & abstergendi & glutinãdi facultatem obtinet. abstergit autẽ magis recẽs, glutinat verò antiquius. Mirificè etiam confert bol⁹ armenia, sanguisq; draconis (appellatus) succinum coralli, se. portulacæ, & similia, quibus adstringẽdi & glutinãdi facultas inest. Prodest etiã loch de pulmõe vulpis, cõserua symphyti maioris & adiãti, vt ℞ conseruarum symphyti maioris, adiãti, hoc est, capilli veneris ãn ℥ s. sacchari rosacei ℥ i. loch

Glutinãtia.

de pulmone vulpis ℨ ii. specierum diatragacãthi frigidi ℨ iii. boli armeniæ ℨ ii. cum syrupo de papauere. fiat eclegma. Cõueniet etiã is puluis quotidie exhibitus, qui ℞ se. papaueris albi ℨ v. gummi arabici, amyli, tragacãthi añ ℨ i s. seminum portulacæ, althææ, maluæ añ ℨ ii s. seminum cucumeris, melonum, citrulli, cucurbitę, cotoneorum añ ℨ iii s. eboris vsti, succi liquiritiæ añ ℨ i s. penidiorũ ad pondus omnium, & fiat puluis, de quo mane dĕtur quotidie ℨ ii. cum syrupo de papauere, aut rosaceo. Hoc quoq; tẽpore quo cicatrix obducitur, extrinsecùs thoraci oleum myrthinũ, aut rosaceũ adhibendũ, adiectis interdũ rhoẽ obsoniorũ, hypocistide, malicorio, acatia, galla & similibus. Postremùm corpus iusta & cõuenienti victus ratione reficiẽdũ. in quẽ vsum mirificè confert hoc medicamẽtũ quod ℞ pulpæ caponis ℥ i. testiculorũ galli, nucũ pinearũ, pistatiorũ, amygdalarũ dulciũ añ ℥ s. specierũ eclegmatis de gemmis ℨ s. specierũ diarhodôn abbatis, diãthos, aromatici rosacei añ ℈ i. santalorũ alborũ, cinamomi electi añ ℨ s. maceris ℈ i. sacchari candidissimi ℔ i. dissoluti in aquis boraginis & rosarum fiat confectio in morsulis.

Puluis.

vires reparantes morsuli.

DE CORDIS PALPITATIONE. C. X.

Cordis palpitatio est passio, quam alio nomine tremorem cordis appellant. Practicarum verò, vt vocant, scriptores, perperàm

Cordis palpitatio.

καρδιακή. cardiacam nominant. Cardiace enim ad sto machum, quem veteres olim cardiam dixe-
καρδία. runt, pertinet, vt alibi copiosè mõstrauimus.
Causæ. Fit ab omni eo quod cor pręter naturam affi cere potest, vt est intemperies omnis, aut humoris multitudo in ambiente cor tunica con tenta, aut tumor præter naturam, & alia quæ à Galeno lib. 5. de patientibus locis cap. 1. re-
Signa. censentur. Dignoscitur facilè de sermonibus ægri palpitationem hanc euidenter sentientis, & ex pulsu. In calida intemperie febris, & pulsus velox atque magnus existit: in frigida, cõtrà. Si humoris multitudo in pericardio contenta, palpitationem fecerit, pulsus est mollis & languidus. Victus ratio, iuxta causas morbum efficientes variatur. In calida, itaq; intẽperie, aër sit mediocriter fri gidus: in frigida, mediocriter calidus. Quapropter ad eum modũ, quẽ in doloribus capitis curãdis exposuimus, instituatur. In vniuersum autem vitandum, quicquid spiritum vitalem resoluit & conturbat: nimius æstus, ira, fames, vigilia, coitus, frigus immodicũ, cibi mali succi. Si multitudo humoris in ambiente cor mẽbrana contenta palpitationem procreauerit, tota diæta sit extenuatoria. Potus in calida intẽperie sit vinum aquosum & tenue, aut iuleb violarum, vel rosarum aut decoctum buglossi, quod hodie borrago dicitur. In frigida, vinum meracius bibatur.

Qui ob calidã intẽperiẽ palpitatione corri-piũtur, iis per frigida, quę intẽperiem corrigere & corroborare possunt, succurrendũ, vt ex simplicibus medicamẽtis sunt rosę, violę, nymphææ flores, santali, coralli, caphura, & similia. Ex cõpositis, diamargaritôn, diarhodôn abbatis, saccharũ rosaceum, violarũ, buglossi, & earũdem herbarum succi & syrupi. Ex iis potiones, eclegmata & confectiones pro vniuscuiusq; arbitrio componi possunt. Extrinsecùs admouẽda vnguẽta, emplastra: potissimùm autem epithemata & sacculi, & alia quæ calidã intemperiẽ alterare possunt. — Curatio calidæ ĩtẽperiei.

Tale itaque vnguentum componatur, quod ℞ oleorum rosacei, violacei, nymphææ añ ℥ ii. corallorum rub. santalorum rub. rosarum rub. añ ℈ i. caphuræ gr. ii. ceræ albæ quod satis est, fiat vnguentum. Potest eo spina dorsi, aut cordis regio inũgi. — Vnguentum.

Imponatur cordi hoc epithema quod ℞ aquæ rosarũ, acetosæ, buglossi, añ ℥ iii. aquarũ melissophylli. ℥ i. specierum cõfectionis cordialis ʒ i. santalorum rub. corallorũ rub. añ ʒ s. caphuræ gr. iii. croci gr. iiii. misce, fiat epithema. — Epithema.

Vel fiat hic sacculus qui ℞ florum buglossi, violarum, rosarum rub. añ p. i. santalorũ omnium añ ʒ i. corallorum rub. & alborum añ ʒ i s. margaritarum ℈ i. Redigantur in puluerem, & cũ serico fiat sacculus. — Sacculus.

Cæterum qui frigida cordis intẽperie laborãt, iis prosunt ex simplicibꝰ,

ambar, moschus, crocus, lignũ aloës, styrax gariophylli, macer, zedoaria, melissa, & similia. Ex cõpositis, diambræ cõfectio, diãthos, aromatici rosacei plirisarcoticon. Ex iam dictis varia remediorũ genera cõponi possunt haud secùs quàm in calida cordis intẽperie. cõuenit autẽ potissimũ hoc vnguentũ quod

Vnguentum. ℞ oleorũ de lilio, de spica, de croco añ. ℥.ii. galliæ moschatæ, aliptæ moschatæ añ ℈ i. ligni aloës ℈ s. maceris ℈ i. croci gr.iii. ceræ quãtũ sufficit, fiat vnguentũ. Epithema quod

Epithema. ℞ aquarum melissæ, maioranæ, buglossi añ ℥ i. specierum diãbræ, diamoschi añ ʒ s. maceris, ligni aloës añ ℈ 1. ambræ g. 1. vini optimi ℥ 1. misce, fiat epithema. Sacculus qui ℞

Sacculus. florũ melissæ, buglossi añ M i. cinamomi electi, gariophyllorum, maceris añ ʒ i. li. aloes ℈ 1. corticum citri ʒ i s. croci ℈ 1. ambræ gr. 1. Redigãtur singula in puluerẽ & fiat sacculus cũ serico vt suprà. Porrò si ab humore aliquo

Si ab humore fit palpitatio cordis. in pericardio cõtento palpitatio oriatur, extenuanti victus ratione, & venę sectione quæ in cubito est, curabitur, Gal. lib. 5. de patien. loc. cap. 1. teste, qui ibidẽ sic scriptũ reliquit:

„ Palpitatio cordis pluribus integra valetudi-
„ ne degentibus tum adolescẽtib. tum adultis,
„ subitò sine alio manifesto symptomate eue-
„ nire visa est, atq; omnes eos sanguinis detra-
„ ctio iuuit. Nanque hoc pacto plerique perfe
„ ctè ab hoc symptomate liberati sunt: præser-

tim qui vtebantur & victu & medicamentis, „
quibus inesset extenuãdi facultas. Facilè ita- „
q; quiuis ex iis Galeni verbis& quæ anteà di
cta sunt, curandi rationẽ instituet, ita vt diu-
tius in ea immorari superuacaneum putem.
Aliũde igitur petant, quod hic omissum est.

DE SYNCOPE. CAP. XI.

Syncope Galeno lib.12. Ther.meth.auto- Syncope
re, præceps est viriũ lapsus. Fit ob plurimam Causæ.
sanguinis, aut ventris excretionem, motũ ve
hementem, dolorem ingentem, vigilias, o-
mnem immoderatã inanitionem, timorem,
terrorẽ, & alias animi perturbationes, ob cru
dorum denique humorum copiam, inflam-
mationis magnitudinẽ, vitiosos & erodẽtes
humores, auræq; fœtidæ inspirationẽ. Co- Signa.
gnoscitur iis notis. Pulsus est rarus & obscu-
rus, extremarũ partium frigiditas, sudor cir-
ca faciẽ, nitoris cutis eiusdẽ ablatio, & totius
quasi corporis resolutio. Notæ verò, quibus
causarum diuersitas deprehenditur, ex aliis
capitibus, quæ partim pręmissa sunt, partim
verò deinceps sequentur, petendæ erũt. Ge- Curatio.
neralis curandi ratio nulla est, sed habet ferè
quæuis causa symptomatis suam peculiarẽ
curationẽ. Si enim propter sanguinis aut vẽ- Si pro-
tris excretionem, aut immoderatos sudores pter san-
& repẽtinas alias euacuationes fit syncope, guinis
frigidâ faciem aspergere oportet, aut aquâ excretio-
rosaceâ. Extremę etiã corporis partes vincu- nem.

lis vehementer constringendæ, ac linteis modicè asperis fricandę. Crura quidē, si suprà eruptio fiat: manus verò, si infrà. Cucurbitulæ quoq; pro diuersitate partiū, ex quibus sanguis erumpit, affigendæ. Os quoque aperiūdum, pennarum aut digitorum immissione: auditorius autem meatus, & nares cōprimēdæ, vt inspiratus aër interiora petēs, spiritum reficere ac excitare queat. Confestim etiam rebus odoratis animum reuocare conuenit. Nihil enim est Hippocrate in lib. de alimento, teste, quod vires odore citi⁹ reuocet. Prodest itaque, pullos gallinaceos assos ac per mediū discerptos, naribus ægrorum admouere. Post hæc, iusculis concoctu facillimis, alendus ægrotus. vinū etiam huic tenue & dilutum exhibendū. Balneum alui tantū profluuio conuenit, aliis minime. Cubiculi aër sit frigidus, stratis in pauimēto rosis, vitium palmitibus, rubis, quercus foliis, & huiusmodi adstringentibus. In immoderato sudore, exudantibus partibus oleum myrthinū, rosaceum, cotoneorum illinendum: in primis verò collū, thorax, loca sub alis & inguinibus. In hunc vsum etiam cōuenit amylum, & thuris pollinē, candido oui excepta aliáq; adstringentia illinere. odoramenta quoque varia offerēda, rosæ, santali, poma cotonea, caphura, flores nymphææ, & similia. Extremas autem corporis partes non oportet vincire.

Si ob doloré syncope fit, iis remediis quib. dolor aufertur, curabitur: quæ singula suis locis, potisimum verò in cap. de coli doloribus dicétur. Qui ob mœrorem, gaudium, & alias animi perturbationes syncope corripiuntur, ii cõtrariis curãdi erunt, odoribúsq;, & aliis quæ per os sumpta spiritus recreare possunt. Si propter crudorum humorũ copiam syncope corripiũtur, tum neq; sanguinis misionem, neque purgationẽ sustinent, vtpotè quos etiã sine his syncope subito adoriatur. Inaniendi itaque per frictionem erũt. Initio igitur morbi statim incipere oportet, ac primùm crura à superiore parte deorsum, linteis non admodũ mollibus, sed modicè asperis: deinde & tota brachia ab humeris pariter ad infimas partes perfricanda. Vbi verò artus omnes abundè calidi videntur, & metus est ne quis ex ampla frictione lasitudinis sensus superueniat, oleo relaxãte vtendũ, quale est anethinum, & chamęmelinũ. Cùm iam artus plurimũ perfricueris, posteá oleũ detergetur. inde ad spinam dorsi transeundũ est, hęcq; tota perfricãda similiter: ab hac rursus ad crura, & hĩc ad brachia, ex inde rursus ad spinam remeandum, & ita toto die faciendum: ídque in splendido & minime humẽti cubiculo, cuius aër tẽperatus sit. Porrò mulsa in qua hyssopum coctum fuit, his est aptisisima. Cauendúmque, ne vel cibum vel sorbi-

Si à dolore.

Si ob animi affectus.

Si ex redundãtia crudorũ humorũ.

tionem, vel aquam exhibeas, vel omnino liberaliter bibere sinas, nisi mulsá trib. primis dũtaxat diebus, vt solũ illud tempus intersit quod somno datur, qui certè mediocris sit. Si pulsus robore mediocri sit, ac magnitudine, consideranda quę ad aluum spectãt: & si sua sponte commodè non deiiciat, clysteri securus ablue. accidit nãque post aquã mulsam, vt quę in primis venis, quę scilicet circa iecur & mesenterium sunt, colligũtur superuacua, commodè deiiciantur. Quòd si iusto maior recrementorũ impetus ad aluũ citetur, mulsam amplius percoquere oportebit: ita enim minus subducet. Si plenius superuacua descẽdant, nec sic quidem sistenda aluus, sed exhibendus pro aqua mulsa ptisanæ cremor est. Si verò fluere pergant, alicæ sorbitione nutries. Si ex pulsus imbecillitate vires quoque collapsas didicerimus, panẽ ex vino diluto exhibere conueniet: ídque si nec venter, nec iecur inflammatione laboret. nam si hac infestentur, iam corpore crudis humoribus referto, nulla planè medicina periculo liberat. atqui siquando crassi abundè humores deprehendantur, oxymeli pro mulsa cõtinuò exhibendum. Ergo si æstas sit, & æger frigidæ potioni assuetus, frigidum huic oxymeli dabis: sin hyems sit, calidũ omnibus. Sanè balneum iis est aduersissimum, tum aër ambiẽs vel nimiũ calidus, vel frigidus. Porrò iis, quos

ſyncope iam premit, ſi partes modò commemoratæ inflãmatione vacẽt, panis exhibebitur modicus, íſque ex vino fuluo, quod celerem in corpus digeſtionem adiuuet. etſi ęſtas adſit & cõſtitutio calida, aquâ frigidâ vinum dilues: ſin contrà, calidam miſcebis. Inde ad frictionẽ veniendũ eſt, quæ pro tradito quoque iam modo adminiſtrabitur. Verùm quibus ex flaua bili, quæ os ventriculi infeſtat, ſyncope incidit, iis frigida offerenda potio eſt: nõnunquã etiã vinũ, quod calidũ natura ſit, fuluum colore, & ſubſtãtia tenue. Qui tenuium humorũ vitio ſyncope premũtur, hos paulatim nutrire oportet, ſummámq; cutem denſare, & aërem cubiculi refrigerare. vngendi ſunt adſtringẽtibus vnguẽtis: tum cibi iis dandi, qui nõ admodum promptè diffluãt, vt eſt panis, ſorbitiones alicæ, ouorum ſorbilium vitelli, gallorum teſticuli, & eiuſmodi. vinum iis aquoſum inter initia dandum eſt, ſumptum à cibo. Si ob inflamationis magnitudinem ſyncope accidat, artus fricãdi & fouendi, manúſque ac pedes vinciendi, vigiliæ imperandæ. Quicunque verò propter vitioſos humores erodentéſq; ſyncope corripiuntur, ii curãdi ſunt ad eum modum, qui infra de dolòre ſtomachi exponetur. Qui exquiſitam & pleniorem ſyncopes curãdi rationem deſiderat, is legat q̃ tradit Gale. lib. 12. Ther. methodi, & quæ infrà cap. 4. libri 3. dicẽtur.

Syncoper iam prementis curatio.

Syncopes ex flauabile curatio.

Syncopes ex tenui humore curatio.

Si ob inflammationis magnitudinem.

Si ꝑpter erodentes humores.

DE LACTIS DEFECTV. CAP. XII.

Causæ. Lactis defectus accidit propter siccã mammillarum aut totius corporis intemperiem, propter sanguinis boni paucitatẽ, & quia infans imbecillis nõ probè ex mammis sugit. quanto enim plus sugẽdo ex illis adimit, tanto magis attrahitur. Signa. Notę quibus causarum diuersitas deprehẽditur, notiores sunt quàm vt dici debeant. Sicca enim intẽperies ex habitu corporis macilento, & aliis suprà dictis dignoscitur. Sanguinis boni paucitas, ex malo corporis habitu, & ex iis quæ præcesserũt corporis, mensium nimirum aut alui profluuio, exercitiis immodicis, inedia, & similib. inanitionib. Posthabito itaque lactis defectu qui fit ex intemperie sicca, quæ facile ex iis quæ suprà dicta sunt, & deinceps in ca. de Hectica dicẽtur, curabitur, de eius tantũ qui ex sanguinis boni paucitate fit, curatione dicemus. Victus. In quo sanè primum sanguis est contemplãdus, sic monente Galeno lib. 5. Simp. cap. 20. aut enim minor est quàm conuenit, aut deterior. Itaque qui minor est, vniuersam victus rationem exposcit humectantẽ & calefacientem mediocriter. Quæcunque enim plus quàm expediat calefaciunt, quæq; desiccant aut refrigerãt, partim qualitatem ipsius sanguinis vitiatã, partim ipsum minorẽ reddentia, lac prouenire prohibent. Dare itaque conuenit panẽ purũ, lac, carnem vitulinam,

pullorum galllinę, perdicum, hœdorum, oua sorbilia, pisces saxatiles & squammatos, passulas, amygdalas dulces, maluas, lactucã, buglossum, melissophyllon, cucurbitas & eiusmodi. Bibendum vinum aquosum, tenue. Fugiẽdum immodicũ exercitium, ira, mœror, & omnia quæ sanguinem minorem efficere possunt. Si verò deterior est sanguis, si quidem biliosus fuerit, primum purgationẽ desiderat biliosi humoris, mox victũ quem modò diximus: Sin pituitosus, medicamẽta requirit excalfacientia, aut primo aut secundo ordine: non tamen desiccantia. hæc enim pituitosos humores excalfacientes in sanguinẽ vertũt. Verùm inter ea potiora sunt, quę non tãtum sunt medicamenta, sed & nutrimenta: velut eruca, fœniculũ, anethum, apiũ, sium, eáque virentia priusquam siccẽtur. Nam sicca plus quàm oporteat & excalfaciunt & desiccant. Quę autem desiccant, humorem sanguinis depascentia, crassiorem símúlque pauciorem efficiunt. Et si naturâ quoque sint calida, iusto etiam calidiorem: sin frigida, frigidiorẽ. Debet enim esse modicè calidus, ac neutiquã crassus, vt ex eo lac generetur. Proinde quæ mediocriter excalfaciunt, nullámque insignem adiunctam habent siccitatem, lactis procreatricem facultatẽ obtinẽt: inter quæ, præter ea quę dicta sunt, est sesamum in vino decoctum. Item butyri recentis ℥ i. cum

Curatio.

Lac generantia.

vino pota. Prætereà amygdalæ dulces, pistacia, nuclei pinearum triti, & cum butyro comesti. Laudatur etiam hoc ferculũ, quod sic conficitur. ℞ orizæ decies ablutæ, exiccatæ, & in puluerẽ redactæ q.s. coquatúrq; in lacte optimo iuxta carbones ignitos, adiiciatúrq; inter decoquendum sacchari albissimi quod satis est, & fiat pulmentum. Fit pręstantius, si addãtur amygdalæ dulces, pistacia, nuces pineæ, farina hordei, cicer, & eiusmodi. Annitendum etiam erit, vt cum leni frictione thoracis, & aliis medicamentis trahendi facultate præditis, ad mammas lac alliciatur.

DE LACTIS REDVNDANTIA. CAP. XIII.

Accidit vt interdum ob lactis redũdantia mammillæ tumefactæ repleantur, & sic extendantur, vt copiam eius vix ferre queãt.

σπαργά-νωσις. Qui sanè affect⁹ Gręcis Sparganosis dicitur.

Causa. Fit à causa cõtraria, nempe boni sanguinis copia.

Signa. Visu tactúque deprehenditur.

Curatio. Succurrendum statim huic affectui, quòd aliàs metuendum sit, ne mammæ inflammatione corripiantur. Inter initia itaque vena secãda poplitis, aut media quæ est in cubito. Dein vtendum iis quæ leuiter reprimũt, ne scilicet ad pulmonem impetu quodam trudatur sanguis: In hunc vsum proderit spongia, in posca madefacta, apposita, aut palmulæ (dactylos vocãt) cum pane & posca tritæ adhibitæ.

Cõuenit etiã apponere emplastrũ ex oleo rosaceo, santalis, coriãdro, psyllio, portulaca, farina fabarũ, lentium, plantaginis succo, & aceto, in hũc scilicet modum confectum. ℞ farinæ fabarum, farinæ lentium añ ℥ i. portulacę ℥ i. se. lini, altheæ añ ℥ ii s. plantaginis, coriandri añ ʒ ii. bulliãt in aqua, donec ad mellis crasitudinem redeant. dein addantur olei rosacei ʒ ii. succi plãtaginis, aceti añ ℥ i. bulliant denuò, & adiiciantur ouorũ vitelli duo, ac fiat emplastrũ. Vel potest fieri ceratũ, sic compositum. ℞ olei rosacei, myrthini añ ℥ i s. farinæ lentiũ, farinæ fabarum añ ʒ i s. mentæ, rutę añ ʒ i. plãtaginis, coriãdri añ ʒ s. cum cera & resina q. s. fiat ceratũ. Erysimon etiam (quod rapistrũ hodie vocãt) mirificè prodest cum aqua & melle illitũ. Ricini etiã folia trita, & apium vires illitũ, nõ modice prosunt. Vniuersa deniq; vict⁹ ratio talis sit, quę paucum procreet sanguinem: adeóq; inedia non parum conferre in hac pasione potest.

Emplastrum.

Ceratũ.

Victus.

DE LACTE IN GRVMOS CONVERSO. CAP. XIIII.

Grumescit lac, & in casei formã transit interdum, quam pasionẽ Gręci Thrombosin, quasi diceres grumescentiã, nominare solẽt. Fit ob lactis abundantiam, quum scilicet è mammis non sugitur: & deinceps à nimia caliditate quod in eo tenuium erat partium digesto, quod reliquũ est, cõcrescit. Idem etiã

θρόμβωσις.

Causæ.

à frigiditate accidere solet: quæ vt concrescat lac, nonnunquam efficere potest. Interdum etiam lac ipsum suapte natura satis crassum & glutinosum est, vt facilè in grumos vertatur.

Signa. Notæ lactis grumescentis satis manifestæ sunt, ex tactu enim, atque adeò relatione ægrotãtis, statim dignoscitur.

Victus. Victus ratio iuxta causarum diuersitatem variatur. In calida mammarũ intemperie ad frigidum, in frigida cõtrà ad calidum declinet. Si propter crassitiẽ lactis accidit passio, extenuanti prorsus diæta vtendum.

Curatio. Quod ad curandi rationem attinet, si redũdantia lactis fuerit, nec in mmamillis grumescat, ab adultis peritísque mulierib. leuiter exugẽdum erit. Mammæ autem apii virentis, mentæ, vel fœnigræci succo illinantur, aliáque quæ suprà in cap. de lactis redundãtia dicta sunt, adhibeantur. Leporis autẽ coagulum ex aqua tritũ, si illinatur, ad omnes mammarũ tumores, & passiones præcipuè lactis copiâ euenientes, confert. Si nimia mammarum caliditas affuerit, tunc portulacæ succus, & solani hortẽsis illinendi erunt. Item rosaceum cum aceto. Alsine etiam (morsum gallinæ uocant) illita, mirificè confert. Benefacit etiam Cimolia terra ex aceto, aut aqua, & oleo rosaceo illita. Lentes quoque in aceto coctæ & contusæ, illitæ prosunt. In frigida intemperie, mammæ decocto chamæmeli, fœnigræci, anethi, semi-

nis lini & fœniculi fouendæ. oleis etiam chamæmelino, anethino, liliorum alborum, & eiusmodi inungendæ. Cauendum tamen, ne papillam contingant. Fel bibulum illitũ confert. Medulla panis cum aceto illita prodest. potest adiici menta, aut apium, & fit medicamentum validius. Præter cætera hoc etiã valet, quod ℞ Mellis ℥ s. styracis calamitæ ʒ iii. fellis bubuli ʒ ii. olei chamæmelini ℥. i. myrrhę, thuris añ ʒ ii s. Misceantur singula, & reducantur in formam emplastri, quod mammis imponatur.

DE INFLAMMATIONE MAMMARVM. CAP. XV.

Accidit interdũ, vt aliæ inflammationes, propter defluxũ sanguinis copiosi & calidi ad mammas. Nonnunquam ob lac casei modo coactum, atque subinde suppuratum. Facilè discernũtur: quòd prior inflammatio iis quę neque grauidæ, neque puerperę sunt, accidat: altera verò, iam commemoratis duntaxat. In prima confestim sanguis mittendus ex cubiti vena interna, vel media eiusdem lateris, nisi mensium subesset retentio. tunc eñ consultius est poplitis venam secare. Post hęc ad reprimentia veniendũ medicamenta, quæ non oportet esse valida, ne ad interiores corporis partes nobiles humorum impetus trudatur: aut aliqua, quę discutere possũt, iis miscenda. In hunc itaque vsum conuenit oleum

causa.

signa.

curatio.

Adstringentia.

rosaceũ cum succo solani, aceto, & decocto chamæmeli, linteis in iis madefactis, & impositis mammæ. Valet etiam emplastrum ex farina hordeacea, semine lini, santalis, bolo armenia, adipe porcino, & oleo rosaceo confectum. Quòd si reprimentia medicamenta non contulerint, ad ea quæ discutiunt, statim veniendum est. Cõuenit itaque adhibere hoc emplastrum, quod ℞ farinę fabarum, farinæ fœnigræci, seminis lini añ p. r. meliloti, chamæmeli añ ʒ ii s. medullæ panis triticei ℥ s. myrrhę ʒ ii. Bulliãt in aqua sufficienti vsque ad mellis crassitudinem, dein addantur olei chamæmelini, anethini añ ℥ i s. & bulliãt iterum, dein adiiciantur vitelli ouorum numero iii. croci ʒ i. & fiat emplastrũ. In hũc vsum lini semen, vel fœnumgræcum in oxymelite decoctum illini potest, & alia quibus discutiendi facultas inest, de quibus iam sæpe dictum est. Quòd si vero spes discutiendi sublata fuerit, maturatiõe auxiliabimur, quę hoc cataplasmate perficietur, quod ℞ maluæ, foliorũ althæę, violarię, chamæmelini añ M i s. radicis althęæ ℥ i. bulliant in exigua aqua ad mollitudinem vsque, dein contundantur, & fiat cataplasma. Vel formetur emplastrũ ex semine lini, fœnigræci, caricis, radicibus althææ & liliorum alborum, adiectis oleis chamęmelino & liliaceo, adipib. porci, gallinæ, & similibus. Suppuratione facta, mammillæ

Discutientia.

Emplastrum.

Maturatio.

Cataplasma.

Ruptio.

ruptionem sectionémve tentabis, ídque medicamentis aut ferro. Medicamenta suppuratas mammas rumpentia sunt, fimus columbinus, fermentum cum puluere cantharidum, calx viua cum fimo anserino. Si ferro potius vti placuerit, locus prope pupillam lunari sectione accuratissimè incidendus erit, vt incisione abscessus quidem profunditas denudetur, sed pupilla cõseruetur. curatio reliqua talis erit, qualis reliquorum vlcerum. Si ob lac coactum inflammatio accidit, tunc vtendum per initia est spõgia molli egelida posca imbuta, expressáque loco fasciis superaccõmodetur. item palmulę (dactylos nominãt) cum pane & poscа tritę imponendæ. vel vtẽdum est ouo toto, cum rosaceo. Medulla etiam panis, adiectis myrrha, croco, mẽta, & aliis quæ in capite de lactis redũdanita dicta sunt, imponenda. Deinceps si illa nõ cõtulerint, reliqua ordine (vt iam commemoratum est) adhibenda erunt.

LIBRI SECVNDI FINIS.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS SINGVLARVM corporis humani partium, à summo capite ad imos vsq; pedes, passionibus, Lib. III.

DE IMBECILLITATE VENTRICVLI. CAP. I.

causæ. VENTRICVLI imbecillitas ex quacunque intemperie oboritur, nullis humoribus vitiatis. Fit etiã ex humore in ipso sinu vẽtriculi cõtento, qui aut calfaciendi, aut perfrigerandi, aut humectãdi, aut siccandi, aut etiam horum aliqua per coniugationem efficiendi naturã obtinet: interim verò & in ipsas ventriculi tunicas imbibito & impacto. Nudam qualitatem calidam testantur, sitis vehemens, cibi fastidium, signa. nidorosique ructus: Frigidam cõtraria indicant, modica sitis, immodica appetentia, acidi ructus. In humida, nulla vel exigua saltem sitis ęgrum affligit, saliuę copia adest: in sicca, linguę siccitas, corporis extenuatio, sitis vehementissima, saliuæq; paucitas. Copiam autem humorũ nausea, vomitus, grauitas vẽtriculi, & ructus à cibo potissimũ ostendunt: & si flaua bilis redundat, oris amaritudo, bilis vomitus, sitis, ruct⁹ nidorosi, vẽtriculi mor

ſus aderunt: Sin pituita, nulla ventriculi eroſio erit, ructus acidi, ſitis nulla, tenſio ventriculi. Si ab atra bile, triſtitia & metus, ructus & excreatio fœtida, piſces olens. Curatio intemperierum per contraria fit. intemperiē enim calidam refrigerare oportet, frigidam calfacere: ſiccam humectare, humidam ſiccare. Similiter verò etiam compoſitas intemperaturas aut calfacere & ſiccare, aut humectare & calfacere, aut refrigerare & humectare, aut ſiccare & refrigerare oportet. Calida itaque intemperie affecti, refrigerante victu curantur, præcipuè qui ex aceto aſſumitur. Panis igitur poſca imbutus ſit. pullis gallinarũ, perdicibus, carnibus uitulinis cum aceto aut omphacio decoctis vtēdum. lactuca deniq;, portulaca, & ſimilibus herbis, pomis, & pyris acidis. Bibenda aqua frigida, aut vinum aquoſum. Frigida intemperie laborantes, cōtrariis medicari oportet, aniſi, rutæ, petroſelini decocto. Cibi odoramentis, cinamomo, calamo odorato, pipere & ſimilibus condiātur. Dāda etiam cōfectio dia triôn pipereôn nominata, & theriaca. Vino vtendum veteri, & ſubadſtringenti. Humidę remedia ſunt, cibi qui citra valentem calefactionem refrigerationémve ſiccāt. præterea conſuetæ potionis parcitas. Siccam curabis inſtar hecticæ, de qua ſuo loco dicemus. copioſiſſimè autē Galen. eius curationē, vt etiam reliquarũ in-

curatio.

calidæ intemperiei.

Frigidæ intemperiei.

Humidæ

Siccæ.

temperantiam ventriculi, prosequitur lib.7. The.meth. ex quo ea quæ hic desiderantur, petenda erunt. Cæterùm si humor aliquis calefaciendi vel refrigerandi vim obtinens vẽtriculi imbecillitatem effecerit, diligenter cõsiderandum erit, an humor is in sinu seu amplitudine ventris innatet, an eiusdem tunicis impactus sit. Si in sinu continetur, & biliosus fuerit, per vomitum statim expurgãdus erit. Facilem verò vomitum reddit aqua calida, vel mulsa dilutissima bibita. satiùs fuerit, si ante hæc, humectantia exhibeas, veluti ptisanæ cremorem, aut lutea ouorũ. Sin in vẽtriculi tunicis est receptus humor biliosus, hierâ picrâ aluus purganda erit: qua sanè Galeno vbi suprà teste, nullum aliud medicamẽtum ad vitiosos humores qui in vẽtriculi habentur tunicis, præstantius inueniri põt. Humore vacuato, victu vtantur eodem, quo qui calida intemperie affliguntur, vti debẽt. Exhibendæ etiam cõseruæ, & confectiones refrigerantes. Extrinsecùs ventriculo adhibeantur refrigerantia, & mediocriter adstringentia, vt est oleum rosaceum, cotoneorum, adiectis santalis, balaustiis, corallis & caphura. Infrigidantiũ tamen mediocris semper vsus sit, iuxta præsentis intemperiei contrarietatem. Nam immoderatus horum vsus, non modò non iuuat, sed etiam sæpe insanabilem morbum efficit. Si verò pituitosi, aut crassi & glu

Si ventriculi imbecillitas accidat ab humore.

Bilioso.

Pituitoso.

tinosi humores amplitudini ventris innatẽt, oxymelite vtendũ est, in quo ex incidẽtibus & extenuãtib⁹ quędã sint decocta: verbi gratiâ hyssopus, iris, origanum, satureia, & martubiũ: Sin tunicis ventriculi impacti fuerint, tũ prius exhibẽda quæcunq; lentam hãc pituitam dissecent, pòst deinde purgãdũ. Qua lia verò hæc sint medicamenta, capite 8. lib. primi diximus. Est autem & ad illorum humorum purgationẽ non inutilis hiera picra, victus ratione extenuante vtendũ. cõfectionibus item calidis diatriôn pepercôn, diagalanga, diacinamomi, diambra, zingibere cõdito, diacori, & similibus. Extrinsecùs adhibenda sunt olea calefaciẽtia, quale est nardinum, de mẽta, de absinthio, mastichinum, & alia eadẽ facultate prędita. In hũc sanè vsũ cõmẽdantur cerata, quę vulgus medicorum hodie scuta stomachalia nominat. Hęc in cũ componãtur modũ. ℞ cinamomi selecti, gariophyllorũ, piperis longi añ ʒ i. galliæ moschatæ, maceris añ ʒ s. calami aromatici, thuris añ ʒ i s. ligni aloës ℈ i. mẽtę ʒ ii. mastichis, ladani añ ʒ i s. oleorũ mastichini, nardini añ ℥ s. cũ cera & resina quod satis est, fiat scutum stomachale. Aut ℞ mastichis in puluerẽ redactę ℥ i s. spargatur per coriũ scuti formam habens, & affundatur oleum nardinũ. Dein admoueantur igni quoad liquescant singula, & inspergatur cinamomi selecti, nucis mo-

Scutum stomachi

ſchatæ, gariophyllorum in puluerem reda-
ctorũ añ ʒ i. & ſtomacho admoueãtur. Quid
corrobo-rãtia ventriculũ. multa? medicus hęc & alia ventriculum robo
rantia adhibeat, qualia ſunt mẽta, abſinthiũ,
thus, maſtiche, cinamomum, acorus (galãgã
hodie vocant) zingiber, gariophylli, macer,
lignum aloës, calamus odorat⁹, & ſimilia, ex
quibus variæ medicamentorum formæ com
poni poſſunt.

DE INFLAMMATIONE VENTRICVLI. CAP. II.

Causa. Vẽtriculi inflammatio haud ſecùs quàm
aliarum corporis partium fit, à confluxu ſan
Signa. guinis copioſi & calidi. Hanc teſtãtur dolor
immenſus, aſsiduus, & qui nullus medicamẽ
tis admotis mitigari poteſt, tumor, æſtus qui
tactu diiudicari poſsit, febris, grauitas & nau
Victus. ſea. Victus ratio perinde atq; in aliis inflã-
mationibus ſit tenuis. vtendum ptiſanæ cre-
more, abſtinendum à carnibus, vino, & aliis
cibis calidis. Bibat decoctum cinamomi, aut
ſuccum malorum granatorum acidorũ, aut
aliorum fructuum frigidorum. Parum loqua
tur, & dormiat. Fugiat triſtitiam, & verſetur
Curatio. in aëre mediocriter frigido. Curandi ratio
à ſanguinis miſsione auſpicanda, modò ple-
nitudo corporis, & virium robur abſint. In-
Adſtringentia. cidenda autem vena cubiti interna, & pro vi
rium robore ſanguis detrahendus. Poſthæc
ea quæ adſtringunt ac reprimũt, foris vbi do-

lor & tumor maximè apparẽt, sunt imponẽda. Conuenit in hũc vsum oleum, in quo malum cotoneum decoctum sit, admixtâ simul mastichê, apponere: item succum cotoneorũ aut pyrorum, adiecta farina hordei, rosis rubeis, santalis, bolo armenia, & similibus, in hunc modum. ℞ Farinæ hordei ℥ i s. santalorum alborum & rubeorum, rosarum rub. añ ʒ ii. boli armeniæ ʒ i s. cũ succis lactucæ, portulacæ, & rosarum, redigantur in formã pultis, aut emplastri. Quòd si maiori adstrictione opus fuerit, addendum aliquid erit de succo omphacii (agrestam vocant) aut hypocystidis, aut rhois, sumach appellant. Hæc omnia, si vehemens sit inflãmatio, actu frigida sunt admouenda. Quòd si aluus nihil deiiciat, clysteribus leuibus irritãda erit. Neq; temerè faciet, qui æstus vehementia paululũ remissa, casiæ fistularis ℥ s. intybi domestici succo dissolutam exhibebit. Hoc etiam tempore cum adstringentibus medicamẽtis, quæ extrinsecùs adhibentur, aliqua quibus discutiendi inest facultas, permiscẽda erunt: vt est farina fœnigræci, flores chamæmeli, semen althææ, lini, & eiusmodi. Imo cum etiam nihil amplius affluit, nec repelli quod in laborante particula continetur, potest, solis discutientibus medicamentis vtendum: sed semper adstringẽtia, quæ robur illius seruãt, admiscẽda. Id quod Galen. lib. 13. ca. 10. Ther.

Puls.

meth. copiosſsimè docet. In hunc ſanè vſum hoc cõueniet emplaſtrũ, quod ℞ farinę ſeminis lini, fœnigræci añ ℥ s. ſeminis anethi ʒ ii. florũ chamæmeli, meliloti añ ʒ iii. abſinthii, balauſtiorum, roſarum rub. añ ʒ ii. hypociſtidis ℈ ii. oleorum chamæmeli, liliorum albo rũ, roſacei, maſtichini añ ℥ s. axungiæ gallinę, anſeris añ ʒ ii. miſce, fiat emplaſtrum. Ante illius appoſitionem, ventriculi regio hoc vnguento inungatur, quod ℞ oleorum, chamæmelini, anethini, cotoneorum, añ ʒ iii. pulueris radicis althææ, abſinthii, ſe. lini, añ ℈ i. ceræ quod ſatis eſt, fiat vnguentum.

Emplaſtrum.

Vnguentum.

DE APPETITV CANINO. CAP. III.

Caninus appetit⁹.

Caninus appetitus contraria eſt amiſsioni appetitus paſsio. plures enim cibos appetunt ſic affecti: atq; quum appetitum cohibere nequeant, in ingerendis cibis modum excedunt: deinde multitudine eorum grauati, & aſſumptos cibos citra nocumentum ferre non potentes, ad vomitum diuertunt. poſtea rurſus cibo ſe explentes, rurſus ad vomitum reuertũtur, quẽadmodũ canes: vnde etiã appellationẽ malũ hoc accepit. Fit propter frigidiorẽ vẽtriculi tẽperaturam, vel ob acidos humores os vẽtris mordẽtes & irritãtes. quippe frigidi humores vitiati, roſionem quæ ſuctioni proportione reſpõdeat, inducũt, ciborũque appetentiã excitant: vel propter to-

Cauſæ.

tius corporis, quod æquo rarius & calidius est, immodicã dissipationẽ, Galen. lib. 1. cap. 7. de Symptomatũ causis teste. Frigida vẽtriculi intẽperies ex deprauata concoctione, inflatione, fluctuatiõe, murmure, ac egestionibus multis deprehenditur. Acidi humores ex ructu acido, multáq; egestione & liquida admodũ cognoscũtur. Immodica dissipatio vbi causa fuerit, tũ vẽtris egestiones lõge pauciores procedunt, q̃ pro eorum quæ ingerũtur modo ac proportione. Et quæ egeruntur, ficciora existunt. Frigida intẽperies curatur ad eũ quẽ suprà diximus modũ. Quòd si verò ab humoribus acidis ori vẽtris impactis hæc fiat passio, hiera picra Galeni exhibenda erit, quũ ea, vt suprà cap. 1. eiusdẽ libri cõmemoratũ est, ad vitiosos humores vẽtriculo impactos educendos præstantissima sit. Aut si amaritudinẽ eius abhorruerit æger, in catapotia digestũ exhibe. Et si pituitosi fuerint humores, priùs, quę dissecant calefaciũtq;, deuorãda dabis. Neq; etiã temere tum allia, porrũ, satureiã, origanũ, pulegiũ, & quæ his similia existũt, cibis permiscebis. Vacuatis vitiosis humoribus, ea tandem victus ratione vtãtur. Panis non sit recens, neq; bene fermẽtatus. Cibi sint pingues, & oleosi. Sorbitiones itaq; conueniũt, quibus mel & oleũ plurimum, gallinaceus adeps aut butyrum adiectũ est. Ex oleribus malua. Cerebel

Signa.

Curatio.

Acidorũ humorũ.

Victus.

la, item & pinguiores volucrium partes, piſciúmq; eodem modo & omnino quæ appetitum auertunt, ac ſatietatem inducũt, & quę magno cumulo accepta modicè alunt. Vinũ bibant colore fuluum, ſubſtantia tenue, odorúmque, & nulla adſtringente ſapore præditum. Hoc etenim ventriculum excalfacit, & humorum deſtruit acorem, vt ſæpe ſolum ſuffecerit cum pinguibus & oleoſis cibis ad perfectam curationem. Exhibendum autem tam ieiunis quàm cibo ſumpto, etiam ſi nõdum ſitierint. ieiunis autem calidum ſanè, aut certe tepidius. Abſtinere autem oportet ab omnibus acidis ac adſtringentibus cibis ac potibus, maximè verò à fructibus. Bellaria tamen eorum ſint, piſtacia, amygdalę, nucésque pineæ. Lac etiam ipſis exhibendum, tum per ſe, tũ cũ melle: ita tamen vt vitemus in eis, quibus in ſtomacho aceſcere cõſueuit. in his enim maius nocumẽtum, quàm vtilitas conſequetur. Probè verò concoctum, nõ ſolùm appetitum obtundit, ſed & aluum obturatam emollit, fluxionésque eius ſiſtit. Apparandæ etiam ex ipſo lacte potiones & placentæ, vt ſunt dulciaria: & oryza cum lacte decocta exhibẽda. Lauare quoque per interualla oportet, cuticulámque ipſorum largè cũ oleo pinguefacere. Ac iſto curationis modo tantiſper, dum à morbo liberetur æger, vtendum. Si verò ex immodica diſſipatio-

ne caninus appetitus oritur, tunc eorum qui hoc modo patiuntur, cutem densare & spissiorem reddere conuenit, cum oleo ex immaturis oliuis expresso, aut rosaceo, aut myrthino, aut alio in quo quippiam adstringens ad lentum ignem decoctum sit. Quinetiã optima ratione æger in aëre frigido ac perspirabili versabitur. Abstineat autem ab aëre calido, cõsimilibúsq; balneis, ac vini potu, & ab omnibus quæ tum extrinsecùs tum intrinsecùs calefacere possunt. Potui autẽ detur aqua frigida, aut cinamomi decoctũ. Ducatur æger ad lauacrum frigidum, si quidẽ nihil id fieri prohibeat: vtpote corporis gracilitas, aut pars aliqua corporis refrigerata, thorax nimirum, aut alia quædam. Cibi ei exhibendi stabiles, & ægrè corruptibiles, vt sunt carnes suillæ in vigore existentes, maximè verò ventres. Bubulæ quoq; pinguiores, & omnia simpliciter pinguia, & quæ ventri innatant, tardéq; concoquuntur ac distribuuntur. Sũt enim hi (quãdoquidẽ ipsis natura inest acris ac mordax, & vt quispiam dixerit, febriculosus calor) ex eorũ numero qui minori negotio bubulas carnes ac alia cõcoctu difficilia, quàm saxatiles pisces similiáq; cõcoctu facilia cõficiunt, vt fusius in præfatione libri primi de Alimentis Galenus docet. Ex ouis, ea quæ coquẽdo sunt indurata, aut sartagine frixa conueniunt. Panis sit nõ fermentatus, iu-

Si ex immodica dissolutione.

ſculáq; pinguia. Oryza cum butyro decocta dãda. Iuxta proportionẽ autẽ quãtum malũ imminuitur, tãtũ ex craſsi humoris cibis eſt detrahendũ, & ex adſtringẽtibus forinſecùs admotis imminuendũ. Aliquando enim ſedata vehementis appetitus acceſsione, quum corpus ex crudis & craſsis humoribus replectur, in aliud grauius malum tranſitio cõtingit. Inter adſtringẽtia verò, pręter ea quæ anteà dicta ſunt, & huic vnguẽto locus ſit, quod

Vnguentum adſtringẽs. ℞ olei roſacei ℥ i. oleorũ myrthini, cotoneorũ, an̄ ℥ s. ſucci plãtaginis ʒ ii. ſantalorũ rub. maſtiches, biſtortæ, roſarum rub. an̄ ʒ i. boli armeniæ ℈ ii. hypociſtidis, acatiæ, ſanguinis dracõis an̄ ℈ i. cerę quod ſatis ẽ, fiat vnguẽtũ.

DE BVLIMO. CAP. IIII.

βούλιμος causæ. Bulimos ingens Græcis vehemẽsq; fames dicitur. βȣ̃ enim particula aliis vocibus adiecta, ſignificationẽ earum auget. Fit ex ventriculi frigiditate indigentiáque, ac viriũ imbecillitate, & ferè in totum ab externo frigore initium capit. Peregrinationes enim & itinera longa, maximè per niuem facta, affectum hunc inducunt.

Signa. Deprehenditur facilè. In principio ſiquidẽ fames multa adeſt, quæ tamen nõ vſquequaque perdurat. Nam poſt ea repẽte animo linquũtur, cum externarũ partium refrigeratione, & ſpiritus defectione.

Curatio. Curatio huic malo ſtatim adhibenda, quòd ſint qui in locis deſertis, aut in balneo,

hoc ipso correpti, ex instanti, auxilii facultate destituti, perierint. Hi itaq; qui in itinere, aut aliàs fame magna citra febrẽ infestãtur, aceto aut pulegio ad odorãdũ exhibito, aut terra quæcũq; tãdem obtigerit aceto cõspersa, aut malis, aut pyris, aut aliis similibus fructibus qui ad manum fuerint, refouẽdi sunt. Auxiliatur & panis recens naribus admotus, caseus boni odoris, caro suilla assata aut cocta, & in vniuersum omne quod multũ alit, maximè verò quod nidosorum ac probè cõditum, sufficientémq; odorem habet. Per huiusmodi enim odores tales vt plurimum refocillantur: quãdo nihil sit, vt diximus cap. 11. libri secundi, quod odore citius vires reficere posśit. Extremæ etiã eorũ partes fasciis constringẽdæ sunt, manuúmq; ac pedũ summitates calidæ aquæ feruentiori imponẽdæ, ipsiq́ue tum maxillarum punctura, tũ capillorum ac auriũ vellicatione excitãdi. Reuocatis verò iam ab exolutione, panẽ ex vino diluto, aut aliud quippiam eorum quæ aceruatim vires reparare possunt, offeres: velut sunt oua sorbilia, halica cum vino. Cõpendiosiśsimũ enim auxiliũ ex cibo sperare possunt: quẽ etiã si oblatũ acceptare non queãt, ori indere oportet violenter, cogeréque vt ipsum trãsglutiãt. e uestigio enim à fame, & ab animi deliquio liberantur, & celeriter excitantur. In hunc etiam vsum cõueniũt con-

fectiones ex odoramentis variis compositæ, vt est aromaticum rosaceum, diambræ, dianthos, diamoschi, alipta moschata, & similes pastilli. Quòd si in febribus (quod tamē rarò accidit) bulimos inuaserit, atq; circa exacerbationum declinationem eius accesio irruerit, intrepidè cibi sunt offerēdi. Si verò in principio accessionis, aut in vigore apparuerit, per odoramenta ab initio dicta reuocandi sunt ægri, maximè per ea quæ sunt frumētacei generis, velut est panis calidus nidorē adhuc emittens, & similia. Frictio etiam partium extremarum adhibeatur, & cataplasmata ex palmulis (dactylos nominant) aut malis cotoneis, in vino decoctis. Atq; hęc vsque ad remissionē facere oportet, vt opportunè cibū offerre liceat. Quòd si ex his nihilo melius habeāt ægri, audendum est per ciborum ingestionem auxilium afferre. Cremorē itaque ptisanæ, aut buccellas vnā atque alteram vino albo & tenui madefactas exhibebis. His enim refocillati ac respiciētes ex improuisò, deinceps vsq; ad remissionis tēpus perueniūnt. Quod autem liceat in accesione ipsa ægrotantes nutrire, pereleganti historia ostendit Galen. lib. 10. Ther. meth. cap. 3. vbi multa ad institutū nostrū faciētia offendes.

DE INFLATIONE VENTRICVLI. CAP. V.

Causæ. Inflatur ventriculus ex flatibus in eo ge-

neratis. Generantur autem ex humoribus in ipso pituitosis, aut ex cibis in vapores ꝑ mediocrem caliditatem resolutis. Perfecta enim frigiditas hoc nomine, quòd extenuare ac dissoluere nõ sit idonea, nullos flatus procreat. Vehemens caliditas cũ non tãtum extenuet, sed etiam discutiat, flatus generationem impedit. Mediocris verò caliditas dissoluit quidem, & transmutat cibos, nõ tamen perfectè conficit: vnde sanè flatuum generatio cõtingit, vt fusius Galenus lib. iii. de Sympt. causis cap. 7. docet. Accedit sic patientibus ventriculi grauitas, & distentio: aliquãdo autem & tumor, ac eminentia quædam circa os ventriculi, & ipsum adeò vẽtrẽ efficitur, ructúsq; inanes fiunt modicè alleuantes, inhibitióque flatuũ, qui per aluum excerni consueuerunt. Vltrà hæc vehemẽs difficultas spiritus ob septi trãsuersi cõpressionem adest, vt aliqui nõ dissimile quiddã suffocatiõi se perpeti existiment. Leuantur autem cibo infernè subeũte, & flatibus siue per ructus siue per intestina exclusis. Murmura denique intus audiuntur. Signa.

Si itaq; ex cibis pituitosis generatur ventriculi inflatio, victus ratione extenuãte vtendũ erit, & medicamentis iis quę in cap. I. huius libri dicta sunt. Sin ex mediocri caliditate orta inflatio fuerit, cibis vtendũ erit cõcoctu facilibus, & boni succi. Parũ etiã comedẽdũ: inedia siquidẽ huic affectioni summè cõ- Curatio.

fert. Post omnẽ cibũ vinũ meracius exhibendũ. Vbi somnus etiã accesserit, non parum leuat ægrotantes. Multũ autem potũ tanquam infestissimum hostẽ deuitent. Fructuũ quoq; atq; olerum humidorum esum semper habeant suspectum. Soliis etiam calidioribus vtãtur. hæc enim Paulo lib. I. cap. 51. teste, mitigant, emolliunt, flatúsque vbicũque fuerint, discutiunt. Quod ad medicamenta ipsa attinet, bibant hoc decoctum, quod ℞ calaminthæ, mentastri, chamæmelini, origani, mẽtæ, pulegii añ M I. absinthii M s. seminum anisi, apii, cumini, dauci, oreoselini, fœniculi añ ʒ iii. seminum vrticę, carei añ ʒ ii. radicis inulæ campanę ℥ ii. Decoquantur in aqua quantitatis iustæ, quoad tertia pars absumatur. dein coletur, & saccharo sufficiẽti dulcescat, adiiciantúrq; syrupi de calamintha ℥ iii. & fiat potio, de qua (vt moris est) vna vice dentur ℥ iiii. Vel vtendum ista (vt vocant) tragea, quæ ℞ specierum dianisi, diacumini, diacalamẽti añ ℈ ii. seminum anisi, carui, dauci, fœniculi añ ʒ i. cubebarum, gariophyllorũ añ ℈ ii. zingiberis ℈ i. piperis ʒ. sacchari ℔ s. misce, fiat tragea. Glandes quoq; confidẽter & citra dilationẽ supponẽdæ sunt, ex rebus flatus prolectantibus, in hunc modũ formatæ. ℞ mellis cocti ℥ ii. seminum rutæ, cumini, fœniculi añ ℈ i. seminis carei, anisi añ ʒ s. salis ℈ ii. misce, fiat glans. Aluo autem adstricta, clyster

Decoctũ

Tragea.

Glandes.

Clyster.

infundendus, qui ℞ decocti superioris lib. i. benedictæ laxatiuæ ʒ vii. oleorum absinthii, rutæ, anethini an̄ ℥ i. pinguedinis anseris & gallinæ, salis expertium, an̄ ʒ ii s. salis ʒ i. misce, fiat clyster. Extrinsecùs etiam vẽtriculus in hoc affectu cum oleis iam dictis inungendus. Aut lana in fasciculum conuoluta, & iis oleis leuiter calidis madefacta imponenda: lanæ quoque sic cõuolutæ cuminum tritum, aut apii semen, aut anethi inspergatur. Aut imponatur ventriculo hoc ceratum, quod ℞ oleorũ rutacei, anethini, nardini, laurini, an̄ ℥ i. farinę seminis lini, fœnigræci an̄ ʒ i s. seminis apii, carei an̄ ʒ i. baccarum lauri, centaurii minoris an̄ ʒ i s. gummi ammoniaci, opopanacis an̄ ʒ ii. ceræ & resinæ quod satis est, fiat ceratum. Cæterum cucurbita bonæ magnitudinis vmbilicum vndique comprehendens, cum flamma copiosa sæpius admota, præsidium in hac passione est, quod incantamenti cuiusquam simile efficit, Galeno etiã lib. 12. Ther. meth. autore. Castoreum etiam ex posca potum, tum extrinsecùs cum oleo anethino appositum prodest.

Ceratũ.

Cucurbita magna.

DE SINGVLTV. CAP. VI.

Lygmos gręcè, latinè singultus, est motus vẽtriculi, qui veluti ei⁹ cõuulsio est, ab expultrice facultate noxia volẽtis extrudere fact⁹.

λυγμός.

Causæ.

Accidit vel ex plenitudine, vel euacuatiõe, aut ob humores acres & medicata qualitate

prǽditos, aut cibos acres & mordaces. Item propter frigiditatem, & alimenti corruptionem, quo sanè nomine maximè omniū pueris frequentes singultus eueniunt. Fit etiam in febribus singultus, stomacho prǽsertim, aut aliquo alio viscere inflāmato. Causǽ extrinsecǽ facilè ex ǽgri aut aſsidētium sermonibus dignoscuntur plenitudo ex grauitate, euacuatio autem ex iis quǽ prǽcesserunt. cibus corruptus ex illius nidore. acria, ex mordicatione. Singultu itaque à frigiditate oborto, oleum in quo ruta, cuminum, & absinthium sint decocta, lana exceptū stomacho imponendum. Oleum etiam mastichinū, & de castorea inunctum prodest. Pueros calidorum linteorum admotio interdum iuuat. Eis qui ǽtatis integrǽ sunt, in potu vinum, aut apium in aqua mulsa decoctum, aut cuminum tritum, aut asarū, aut pulegium, quodlibet eorum per se, aut simul mixta exhibenda. Vtile est & acetum scylliticum sorbendo acceptum. Denique spiritus retentio, quę calorem auget, Galen. lib. 2. de sympt cauſ. cap. 6. teste, prǽsens est remedium. Quādo verò ex plenitudine singultus oboritur, vomitus optimum remedium fuerit. Craſsis autē existētibus humoribus, cum oxymelite scyllitico, calaminthǽ, prasii, & similium iam sępius commemoratorū decocto extenuādi & incidendi sunt. Deinceps ea quę in diuersum

Signa.

Curatio singult⁹ ex frigiditate.

Singult⁹ ex plenitudine.

Auersio.

humorum copiam trahunt, ſunt adhibenda. In quem vſum conueniunt ea quæ per inferna purgant, potiſſimum verò clyſteres, extremarum partium frictio & conſtrictio: cucurbitulæ, cum plurima flamma thoraci, ſtomacho, & dorſo affixæ. Sternutatio etiam cõueniẽter eis prouocatur. nam Hippocrate teſte, à ſingultu habitum ſternutatio ſuperueniens liberat. Sic etiam vociferatio concinna cum plurimo clamore, deambulatio longa & cõcitata, equitatio, & compreſsio ſpiritus cõferunt. Ventriculus etiã roborandus erit per ea quę intrò ſumũtur, vt ſunt cõfectiones in hoc in officinis paratę. Extrinſecùs oleis, vnguentis & emplaſtris in præcedentibus capitibus productis. Singultus autem ex euacuatione ſanatur per alimenti cõuenientis aſſumptionem, & per ea quę defectum explẽt, quę partim ſuprà ſunt dicta, & copioſe in curatione hecticę febris dicentur. Non mediocriter autem & hic conducit, vertebras ceruicis & dorſi oleo humectante, violaceo & amygdalarũ dulcium nimirũ, perũgere. Porrò mordacib. reb. ſingultum excitãtibus, primùm ſufficiẽs remediũ vomitum ipſum reperiemus: deinde ſenſus etiam ſtupefactionem & morſum inferentium alterationem ac diſcuſſionem. Stupefiunt itaq; ſenſus per refrigerãtia. In quem ſanè vſum philonium exhiberi poteſt, aut pilulæ de cynogloſſa, quæ in hoc caſu mirificè

6. Aph. 13

Singult⁹ ex euacuatione

Singult⁹ ex mordacitate.

Pilulę de cynogloſſa.

conferre solent. Debent ex vna drachma conficici sex pilulę, de quibus vnã antequam cubitum eat æger sumat. Alteratur autem mordacitas per attenuantia & exiccãtia. Eiusmodi

Pastillus. mixtę facultatis est subiectus pastillus, qui ℞ costi, croci, spicę nardi, rosarũ viridium, mastiches añ ℥ s, asari, aloës añ ʒ ii. opii ʒ i. cum succo psilii, fiant pastilli, de quibus detur ʒ s. vel ʒ i. Commendatur hoc pharmacum à Galeno lib. 8. de comp. medic. secundum locos, cap. iii. pluribus verbis. Obtundit etiam mordacitaté, & ex ea obortum singultum sedat, intybi succus potatus, cucumeris semé decorticatũ tritúmq; bibitũ. lactucę semen eodem modo: item portulacæ succus potatus, ipsáq; portulaca in cibo sumpta. Myxarum quoque decoctum (sebesten hodie vocãt) in potu acceptum. Maximè tamen omnium prętat lac asininum, aut si hoc non adsit, bubulum recens multum bibitum. In eum vsum exhiberi potest saccharum rosarum, aut violarum, diarhodôn abbatis, diatriasandali, iuleb violarum, & eiusmodi.

DE CHOLERA. CAP. VII.

χολέρα. Cholera est vomitus biliosus, nidorosus & acidus, ad plures horas perseuerans, & venter infernè eadem simul excernit. Barbari cholericam & choliricam paßioné nominãt. Qui hoc malo afficiuntur, Græcis χολεριῶντες, & Latinis cholerici appellantur. Fit ob mul-

Causæ

tam cruditaté, quæ nõnunquã ex magna alimentorũ prauitate, interim ex vitiosorũ humorũ copia originẽ ducit. Signa quibus deprehenditur malũ hoc, manifesta sunt: nam suprà infráq; excernũt. Sitis etiã sequitur, impeditus pulsus, musculorúmq; manuũ & pedum, maximè verò surarum cõtractio & tensio. Quum itaq; malum hoc acutissimũ sit, & grauissimã syncopé, si paulò diuti⁹ duret, inducat, accurata opera dãda erit, quò confestĩ & sine mora huic succurratur. Nemo igitur vbi copia vitiosorũ humorũ malũ hoc cõciliauerit, mox in principio, aut cõfertim ea quæ efferũtur cohibere aggrediatur. inutilia enim cum sint, euacuatiõe indigent. quare si nauseabundus ęger est, & turbatur, cibis etiãnũ crudis in ventriculo manentib. aqua tepida propinari debet: deinde vomere oportet, digito vel pinna ori indita. Neq; tamen cum aqua mulsa, neque aqua cũ oleo mixta vomitus citãdus. quòd hæc fluxiones augeat, illa verò mordacitatem operetur, & torsiones augeat. Adiuuare etiam oportet per sedẽ excretionem. alienũ enim velut venenum insidẽs, & ventrem ac intestina rodit, & humores ex vniuersó corpore attrahit. Propinãda autem leuissimã purgãtia medicamẽta, vt est aloë, casia fistularis, myrobalanorũ decoctum, & similia. Postquàm aluus exinanita est, conquiescere oportet, & ventriculum ac hypo-

Signa. Curatio.

chõdria oleo maſtichino, vel nardino, vel de abſinthio fouere cõueniet, ſomnúmq; acceſſire. Prædictis oleis admiſcẽda interdum alia quæ ventrem roborare poſſunt, de quibus ſuprà dictũ eſt, & vnguẽta cõficienda. Vbi iam exacta apparuerit cõcoctio, balneo aquę dulcis, & cibis boni ſucci vtẽdũ eſt. In quorum numero eſt iuſculum pulli gallinacei cũ omphacio. Carnes item auicularum mõtanarũ, perdicum, oua ſorbilia, & eiuſmodi. In potu vtendum vino tenui, odorato, & adſtringente, aut ſucco malorum granatorum, aut ſyrupo roſaceo, aut aqua in qua chalybs ignitus ſit ter aut quater extinctus. Quum verò perſeuerauerit malum, & gracilitas per ambitum corporis fiat, & maximè ſi vẽter cõſidat, pulſus minor denſúſque euadat, tunc ſanè extremas corporis partes vinculis adſtringere, ac oleo multo calido impinguare oportet. Cataplaſmata etiã & emplaſtra ex adſtringẽtib. & roborantib. cõpoſita, ventriculo imponenda. Sunt aũt eiuſmodi, quæ ex palmulis, hypociſtide, acatia, rhu obſoniorũ, bolo armenia, thure, balauſtiis, roſis, ac myrthi fructib. componũtur. Efficax quoque remedium eſt, ſi linteum in ſucco malorum ſylueſtriũ madefactum ventriculo imponatur, aut hoc ceratum, quod ℞ oleorũ roſacei, myrthini, cotoneorum aã ℥ i. maſtiches, thuris, acatiæ aã ʒ ii. hypociſtidis ʒ i. ſantalorum alborum &

Scutum ſtomachi.

rub.añ ℨ i.balaustiorum, sanguinis draconis ℨ s.boli armeniæ ℨ i.ceræ & resinæ quod satis est, fiat scutum stomachale. In potu verò frigida aqua cyathi mẽsurâ, hoc est, ℥ i s.absorbenda prębeatur. Cauendũ tamẽ ne nimium frigida existat. hæc enim aliquãdo innatum calorẽ stupore suo extremè offendit, aut inflammationẽ stomachi aut visceris alicuius efficit. Instillетur autem huic interdum mali punici acidi succus modicus, aut rosarũ, vel pampini vitis decoctũ. Quòd si acriora sint ea quæ excernuntur, vexétq; ardor & sitis, cucumeris semen cum aquæ cyathis tribus prębeatur. Datur etiam vtiliter cũ amylo. Tum etiam intybi & lactucæ in posca coctæ exhibeantur. Pòst verò somnus procurandus, & quies omni modo. Verum si fluxio sisti nequeat, vinum quoddam mediocriter adstringens, neque viribus validum, & quod dulce quidem sit, nõ autem odorum potui dãdum est. Interant verò in ipsum micas panis, atq; ita paulatim & per interualla absorbeãt. Vini tamen multitudo vitãda est, ac omni arte conandũ vt ipsos sopiamus, ex rosis, pãpinis, rubo, & similibus pauimento cõstrato. Odoramenta quoque naribus admoueãtur, rosæ, mala cõtonea, & eiusmodi. Illitiones etiã soporiferæ circa frontem adhibeãtur. Aluo autem adhuc egerẽte, amylum cum decoctione capitũ papaueris per clysterem infundatur.

Somnus vt conciliandus.

simul enim cohibet, refrigerat, & somnũ inducit. Ad vomitiones verò coercendas, succum malorum cotoneorum, pyrorum, punicorum, & mespilorum deuorare cõuenit. Sine his quidem auxiliis cibum retinẽt. extrinsecùs contra ventriculum ipsum cucurbita leuis quàm maxima admouenda est. Ad contractiones autem in musculis factas, linimenta oleo calido imbuta musculis circũponere oportet, & cerata humida seu vnguenta, quibus adiectum sit aliquid castorei, & olei irini, quorum copiã in cap. de Resolutione & conuulsione offendes. Vbi morbus inclinauerit, ad balneũ deducẽdi sunt ægri: cibísq; reficiẽdi erũt, pullis gallinaceis, columbis, gallinis, perdicib⁹, palũbis, turdis, & cõsimilibus.

DE DIARRHOEA. CAP. VIII.

διάῤῥοια

Diarrhœa Græcis est, copiosum sine exulceratione & inflãmatione alui profluuiũ.

Causæ.

Fit propter imbecillitatẽ instrumentorum ventris, alimẽta copiosa, humidiora & viscõsiora, eorumdémque corruptelam, mordicationem item in vẽtre contentorũ, defluxum quorundam è supernis ad vẽtris spatia, imbẽcillitatémq; retẽtricis facultatis. Notę quib. Causæ discernũtur, manifestæ admodũ sunt. Si enim ob imbecillitatẽ fit instrumentorum concoctioni seruientium, ventriculi nimirũ, intestinorum, iocinoris & lienis, ex propriis capitib. petenda signa erũt. Sin ob alimento-

rum prauorũ ingestionẽ accidat diarrhœa, partim de ęgri sermonibus, partim ex iis quę excernuntur, disci potest. Si enim biliosa fuerint, flauo colore excremẽta infecta erunt, neq; citra mordicationem & caloris sensum eiicientur. Aderit etiam oris amaritudo, sitis, tenuis habitudo corporis, & alia quæ habitũ biliosum ostendũt. Sin pituitosa fuerint, contraria prorsus quę per aluũ excernũtur, erũt. Si à capite in ventrẽ cõfluunt humores, egestiones spumosę erunt, cerebríque temperies humida. Si à plenitudine totius corporis oriatur, aut iudicatorius sit alui fluor, signis quæ in Cõmentario de Plenitudine, & in libris de Crisib. à Galeno dicta sunt, deprehẽdetur. Cæterũ si ab imbecillitate instrumẽtorum alui profluuium excitabitur, intemperies quę imbecillitatem parit, suo contrario, quemadmodum cap. I. huius Libri diximus, corrigenda erit. Si autem propter alias causas fluore alu⁹ laborauerit, & natura per hũc quæ noxia sunt & superuacua expellere tentauerit, quíq; correpti eo sunt, facilè tulerit, tum vsquequò natura omnem suam curam impenderit expectare, aut ipsius etiam motus adiuuare conuenit. Etenim obluctari & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit. Siquidem quæ cohibẽtur, sursum perlata dolores capitis, aut phrenitidas, aut lethargos, aut parotidas ĩferũt, planè pe-

Curatio.

Alui profluuium nõ temerè sistendum.

riculosos. Quare in principio ea quæ in corporis commoditatem vtiliter excernũtur, minimè inhibere oportet. Postquam verò iam diutius perseuerauerit fluor, non solũ superuacua euacuans, verum habitum corporis veluti colliquãs, virésque consumens, tunc sanè resistere eis oportet, tum per ea quæ per os sumuntur, tum quæ per anum infunduntur, atque ea quæ extrinsecùs imponuntur. Si itaq; biliosa pura recremẽta prodierint, in magis salubria permutare ipsa oportet, nõ tamẽ per cohibitionẽ statim eos curare. Biliosum enĩ tum in ventre, tum in ieiuno intestino aggregatum, atque post coaceruationem retẽtum maximoperè lædet. Nam & stomachum subuertit, & visceribus inflammationes infert, & sitim accendit, & febres instaurat omnésque prædictas in capite pasiones efficit, atque in totum grauius malum reddit. Quòd si igitur humores biliosi in corpore copiosi fuerint, natura per medicamẽta leuia, vt est dilutum rhabarbari, casia fistularis, cortices myrobalanorum luteorum, aut mel aërium (mannã Arabes vocant) iuuanda erit. Lac tandem bubulum aut caprinum tepidũ, recẽs mulctum in potu exhibendũ, aut ad ignem decoctum asiduéque agitatum, donec ad tertias sit reductum. quod ipsum & per fluuiales silices, ferríque laminas igni cãdefactas, ac in lacte extinctas fieri potest. In decoquẽdo autẽ su-

Biliosæ diarrhϾ curatio.

Lac coctum.

perſtantem cõcretionem ſiue ſpumam aufer re oportet. Hôc ſanè nullum compendioſius remedium ad fluxiones bilioſas reperire poteris. Quandoquidem autem febricitantibus lac ipſum in nidorem aut etiam acorem conuerti conſueuit, maiúſque nocumentũ quàm commodũ inferre, ſanè in pręſens ipſum exhibere vitabimus. Aquę verò quarta parte ad lac ipſum affuſa, decoctionem faciemus, donec dimidiũ eius cõſumatur, atque hoc modo exhibebimus. Si autẽ in inteſtinis aggregata bilis fuerit, clyſteres ex hordeo decocto ſaccharo rubeo, oleo roſaceo, ouorũ vitellis & ſimilib. cõfectos iniicere oportet. Bilioſis vacuatis humoribus, intrinſecùs ea quæ adſtringunt & roborare poſſunt, exhibenda: vt ſunt ſaccharum roſaceum, diacydoneôn ſine ſpeciebus, diatriaſantali, paſtilli de ſpodio, miua cotoneorũ, & eiuſmodi. Extrinſecùs etiã quæ idẽ poſſunt imponenda medicamenta, de quib. paulò pòſt dicem⁹. Porrò in diarrhœa ex humoribus craſsis & viſcoſis, ac eorũdem corruptione facta, haud ſecùs quàm in priore à purgatiõe auſpicãda curatio erit. Exhibendum itaque in hũc vſum agarici dilutum cum myrobalanis empeliticis, aut aliud quod prædictos humores educere poſſit. Conueniunt etiam clyſteres, potiſsimum ſi in inteſtinis viſcoſorum humorũ copia coaceruata fuerit, ex cẽtaurii minoris decocto

Diarrhœæ ex pituitoſis humoribus. Curatio.

oleo rutaceo,& similib⁹. Intrà corpus exhi bēda diacydoneôn cum speciebus,zingiber coctū,& alia quæ calefacere & exiccare pos-sunt. Extrinsecùs etiam quæ robur addūt ad-mouenda. Si ob retētricis facultatis imbecil-litatem orta fuerit diarrhœa,ea sunt adhibē-da medicamēta, quæ ad alias fluxiones alui immodicas admouētur. Irrigationes itaque ex oleo omphacino aut rosaceo, aut melino cum vino aliquo austero. Efficacius autē his est myrthinum,si vehementiori opus est ad-strictione. Gallas etiā,malicorium, & balau stia in oleis prædictis incoquere licebit. Per-seuerante autē adhuc fluxione, emplastra & cerata ex adstringentibus & exiccantib. ap-parata,imponenda erunt,quorum aliqua in cap. de Lienteria describemus. Est autem in primis hoc efficax & parabile,quod ℞ mo-ra præ immaturitate adhuc acerbiora & albi cantia septem,quibus vbi probè contusa fue rint,addūtur olei rosacei ℥ ii. ceræ ℥ i. & fit ce ratum. In potu verò accepta, vētris fluxiōes, post sufficientem inutiliū euacuationem, sa nant,cuminum, adianti decoctum,spinæ al-bæ radix,apii similiter semen drachmæ pon dere datū. vrinam enim irritat: fluxiones ad intestina factas,eò diuertēs. Mora etiā imma tura , & adhuc acerba,ad solē pluribus dieb. exiccata, deinde reposita,vsúq; expetente tri ta & bibita,mirificè aluum restringūt. Con-

Diarrhœæ ex imbecillitate retētricis facultatis curatio.

Simplicia adstringentia aluū.

Ceratū.

tundũtur quoq; & obſoniis admiſcẽtur, quẽadmodũ rhus (ſumach nominãt) conſueuit. Interdũ enim eius ℥ i. cum pullo gallinaceo decoquitur. Magis tamẽ aluum cohibent rubi mora immatura, & acerba, eodem modo exiccata, & in potu exhibita. Inter cõpoſitas medicinas mirificè conferũt, paſtilli de ſpodio, theriaca, diacydoneõ, diatriaſantali: & hęc quæ ℞ ſpecierũ diatriaſantali: ſpecierũ diarhodôn abb. añ ℈ ii. coralliorũ rub. thuris electi, roſarũ rub. añ ʒ s. ſpodii ʒ i. ſeminis acetoſæ, rhois obſoniorum, id eſt ſumach, añ ℈ i. balauſt. acatię añ ʒ s. maſtiches ℈ s. boli armeniæ ʒ i. ſacchari cãdidiſsimi ℥ viii. diſſoluti in aqua plãtaginis, fiat cõfectio in morſulis. Cõpoſita cohibẽtia aluũ. Cõfectio in morſulis.

Aut hoc eclegma, quod ℞ ſacchari roſacei veteris, diacydoneôn ſine ſpeciebus, rob de ribes, rob. de oxyacãtha, id eſt de berberis, añ ℥ s. miuę cotoniorũ ſimplicis ʒ iii. diamorôn ʒ v. ſpecierũ diatriaſãtali ℈ ii. coralliorũ rub. ℈ s. ſpodii, balauſt. añ ʒ s. boli armenię ʒ i. cum ſyrupo myrthino, fiat eclegma. Cæterũ iſtã aquã nunq̃ non paratã habebis, quæ ℞ rhois obſoniorũ quartã vnã, aquæ pluuialis ℔ iii. In quib⁹ die & nocte ſumach maceretur, dein bulliat. & rhu benè ac validè exprimatur. In ea ſiquidẽ aqua oryza, milium, & alii cibi coquantur, aut ſaltẽ aliqua illis portio affundatur. Si propter defluxum ab aliis corporis partibus diarrhœa accidit, curatio ex pro- Eclegma Aqua. Diarrhœæ ex defluxu humorũ è ſuperenis ortæ curatio.

priis capitibus petẽda erit. verbi gratia, si ex capite defluxio fit, ad ea quæ in cap. de curatione destillationis dicta sunt, recurrẽdũ erit

DE LIENTERIA. CAP. IX.

λειεντερία. Lienteria, quemadmodũ ipsum nomen indicat, leuor quispiam intestinorum est: passio nimirum, in qua intestina cibos non retinent, sed antequam in ventriculo coquãtur, celerrime excreta dilabuntur non cocta, sed qualia antè sumpta fuerunt. Latinis itaque leuitas, aut leuor intestinorũ dici potest. Causæ. Oboritur autẽ frequẽter, dysenteriâ magnâ præcedẽte, & ex profunda vlceratione, cicatrice densa & leui succedente, quæ deinde ob densitatem quidem suam, ciborũ per corpus digestionem fieri non permittit, quum sanè venarum ora sint veluti obturata: venarum inquam, quæ alimentũ ex intestinis ad se auellunt: ob leuorem verò cibum statim, & priusquam permutationem & perfectam concoctionẽ admittat, dilabi sinit. Fit nõnunquam ex imbecillitate facultatis cibos in ventriculo concoquentis ac digerentis. Hac enim imbecilla, nec coquuntur nec digerũtur alimenta: sed cruda, humentia, imperfecta, nihílve immutata excernuntur, aluo cõtinenter fluida. Interdum etiam post longum vẽtris profluuium oboritur. Aliquãdo etiam aqua inter cutem per ventrem euacuatâ, lienteria cõsequi solet. Signa. Ex quacũque igitur causa lien-

teria orta sit, ęgri cibum non sentiunt, & malum corporis habitũ acquirunt. Succedit itaque ęgris assidua excretio cruda, colore subalbida, inęqualis, & aquosissima, citra sanguinis ac bilis complexum. Adest autẽ simul & ardor per tota hypochõdria se dilatãs, quem cibi concomitatur fastidiũ. Cæterùm quum eiusmodi passio fit, facile est ĩtelligere, quòd facultatem retentricem & concoctricem tum ventris tũ intestinorum omni modo refocillare oportet: id quod in primis per ciborum conueniẽtium exhibitionem fieri potest, & victus rationem restituendis ac refocillandis virib. aptam. Conueniunt itaque carnes auicularum mõtanarum, pulli gallinacei assi, in quorũ ventre rhus, aut mastiche imponi etiã debet, & alia quę in cap. sequenti de dysenteria commemorabuntur. Vinũ bibendum adstringens. cibus autem qui exhibetur, quantitate paucus sit, & cõcoctu facilis. Potus etiã exiguus sit: multus enim, vẽtris fluxionibus omnibus infestissimus existit. Si itaq; ex imbecillitate facultatis cõcoctricis fit lienteria, eodem modo quo in capite de imbecillitate ventriculi dictũ est, curetur. Intra enim & extra corpus adhibenda ea quę adstringunt, & tam ventriculũ quàm intestina roborare possunt. Exhibẽdus itaq; syrupus de absynthio, aut menta, confectionésque aliæ vẽtriculum corroborantes. Extrinsecùs verò admouen-

Curatio.

Curatio lienteriæ ex imbecillitate facultatis cõcoctricis.

da sunt ea quæ in capite de Diarrhœa dictã sunt, & in sequenti de Dysenteria cap. dicentur. Conueniet autem in primis hoc vnguentum, quod ℞ oleorum mastichini, de absinthio, de mẽta, myrthini añ ℥ ii. pulueris cinamomi electi, gariophyllorum, galangę añ ℈ i. balaust. rosarum rub. añ ℈ s. ceræ quod satis est, fiat vnguentum. Vel hoc ceratum, quod ℞ oleorum mastichini, de absinthio, cotoneorum añ ℥ i. olei de menta ℥ s. calami odorati, gariophyllorum, thuris añ ʒ i. ligni aloës ℈ s. rosarum rub. santalorum alborum & rubeorũ añ ʒ s. mastiches, cumini añ ʒ i s. hypocistidis, acatię, rhois, hoc est sumach, añ ʒ i s. gallię moschatæ ℈ i. cũ cera & resina quod satis est, fiat ceratum. Porrò quib. cicatricem factam esse coniectamus, iis etiam acriũ rerum comestiones frequentiores aptæ existunt. Acrium enim rerum comestio velut refricatio nem quandam cicatricem operatur, quin & insitum calorem reuiuificat, & concoquendi facultatem quodammodo refocillat. Conueniunt itaque in hoc casu Gal. cap. 95. artis medicinalis autore, quę sufficienter abstergunt, & parum adstringunt. Admiscẽda itaq; semper adstringentibus medicamentis abstergẽtia. In aliis causis lienteriæ omnib. eodem curationis modo vtendum est, quo in diarrhœa & dysenteria affectis vtimur.

Vnguentum.

Ceratum

Si à cicatrice facta lienteria oriatur.

DE DYSENTERIA. CAP. X.

Dysenteria propriè Græcis exulceratio est intestinorum. Latinis tormina, quod intestina dolore torqueantur, nominatur. Fit interdum à causis extrinsecis, veluti frigiditate, ardore, & humiditate. Item malignorũ medicamentorũ potu, scammoniæ scilicet, & similium. A fructuũ comestiõe, cruditatibus, acrium ciborũ acceptione, ab humorib. mordacib⁹ & acribus ex vniuerso corpore ad vẽtrem confluentib. aut in ipso natis. Hæc quidem nunc ex tenesmo, nũc per se incipit. Excernũtur primùm biliosa, varia, subpinguia: pingui nimirũ quod intrinsecùs intestinis adhæret, paulatim circumliquefacto. Quũ verò superficies intestinorũ perfectè fuerit denudata, exulceratióque supernè consistit, feculẽta ac cruenta excernũtur. Vbi autẽ altius penetrauerit vlceratio, etiã sordes pelliculas admixtas habẽtes expellũtur. Etsi nõ celeriter cohibeatur, vicinos locos depascitur: saniosa verò quædã excernũtur, qualia à mortuorũ cadauerib⁹ defluere cõsueuerũt. Siquidẽ igitur ab exulceratione cruenta stercori cõmixta, cũ labore & torminibus, mordacitate ac exolutione, vt nõ ꝓcul ab animi deliquio ægri absint, deiiciantur, à sitiq; infestẽtur, & febricitent, vlceratio tenuia ĩtestina obsidet. Sin autem syncera ac multa egerũtur sterco-

δυσεντερία. Causæ. Signa. Quando exulceratio in tenuiorib⁹ intestinis consistit. Si in crassioribus.

ra, & coaceruata, & cum flatibus prodeunt, pinguia quoque iis cõmixta fuerint, & cruor supernatauerit, in crassis intestinis vlcus consistere credendũ est. Id quidem nosse, nõ mediocriter ad curationem conducit. Nam si in superiorib' intestinis vlcus est, ab epotis medicamentis præsidium petendum est: si verò in crassioribus, clysterem subiicere magis cõuenit. Principiũ curationis dysentericorum à quiete & modico cibo fiat, vndecunque tãdem fluor procedat. Permittentibus itaque febribus, lacte recẽs mulcto adhuc calido vtẽdum est: aut pro eo lac coctum, quod in capite de Diarrhœa descripsimus, exhibendum. Primùm enim lac depurgat, simul ea quæ in corpore sunt cõtemperando: postremùm verò aluum sistit. Oportet autem insuper & panem madefactum, à lactis acceptiõe offerre. Pultes etiam ex lacte apparatæ, tum medicamentum, tum nutrimentum optimum præbent: velut est oryza cũ lacte, amylũ, & oua lacti commista. Sorbitiones quoque aut pultes ex alica milióq;, adiecto rhoe, cõueniunt. Apparãda item puls ex siccis panibus affusa posca, aut palmarũ aut malorum cotoneorũ aut pyrorum aut rhois succo. Lenticula quoque probè assata cum plantagine, aut malis cotoneis contusis decocta exhibenda. Olerũ vsus non est necessarius: attamẽ degustandas exhibebis, serin seu endiuiam coctã, plãtagi-

Victus.

nem, braſſicámque bis coctã. Damus & ouorum aſſatorum lutea. Carnes dyſentericis nõ valde commodæ exiſtunt: dandæ tamen eis qui diuturno malo vexantur. Ex iis autẽ præ cęteris volucrium eligendę, perdicis nimirũ, palumbium, & mõtanarum auicularum. Ex pedeſtribus carnes capreæ & leporis conueniunt. In potu à principio quidem aqua pluuia, quæ non ſit ex ædibus plumbo inte ctis delapſa, vtendum eſt. talis enim aqua ſanis etiam potata deſynteriam conciliat. Quòd ſi pluuia optima non adſit, fontana in qua chalybs ignitus extinctus ſit, vtemur. Si verò laborauerit ſtomachus, aut vires fuerint deiectæ, etiam vinum præbendum. sit autem adſtringens, & non valde vetuſtũ. Somnus optimum dyſentericis remedium.

Potus.

Curatio.

Quod ad curandi rationem attinet, ſciendum quidẽ vtendum eſſe remediis adſtringentibus, obtũdentibus, reſiccãtibus, & vrinam mouentibus, atque adeò fluxionem transferẽtibus. Quę adſtringunt, hæc ſunt: lapathi ſemen, rhus (ſumach vocant) galla, malicorium aridum, rubi radix, ladanum, acatia, hypociſtis, balauſtium, folia ſalicis, ſymphyti (conſolidã maiorem nominant hodie) radix, folia & ſemẽ: rhëon pónticum, ſi haberi poteſt: althææ radix, equiſetum, coralli, maſtiche, coagulum leporis, ſanguis draconis, cortex thuris, lemnia terra, verbaſciradix, mora acerba, acini

Adſtringentia.

vuę, plantaginis semen, similiter folia & radix, maceris cortex. Obtundunt autē & contemperant humorum morsum & acrimoniā, amylum, tragacātha, gummi arabicū, adeps caprinus, hircinus, & suillus, anserinus ac gallinaceus. Resiccat coagulum leporis, cornu ceruinum vstum, testę cancrorū fluuialiū, & saluia. Vrinam mouentia pete ex suo capite.

Obtūdentia.

Resiccantia.

Si crassiora intestina exulceratione laborauerint.

Quòd si itaq; crassiora intestina exulceratione laborāt, clysteres adhibeantur: primū quidē abstergendi vi præditus, qualis est qui ℞ aquę decoctionis hordei integri ℔ i. mellis rosacei colati ℥ i. sacchari rubei ℥ s. vitellos oui numero ii. olei rosacei ℥ iii. misce, fiat clyster. Facta abstersione, ea quæ glutinare possunt infundantur, quale est quod ℞ rosarum rub. plantaginis, foliorum symphyti, polygoni (corrigiolam vocant) verbasci, an̄ M i. gallarum, rhois obsoniorum an̄ ʒ ii. bursæ pastoriæ M s. balaustiorum ʒ i. oryzæ tostæ ℥ i. radicis symphyti ℥ s. Decoquantur singula in aqua chalybeata, donec tertia pars absumatur. Dein ℞ colaturę ℔ i. succi plantaginis ℥ ii. acatię, hypocistidis an̄ ℈ ii. boli armeniæ, sanguinis draconis an̄ ℈ i. adipis caprini ℥ i. oleorum rosacei, myrthini an̄ ℥ i s. misce, fiat infusum. Interdum dolor tam vehemens est, vt non solum obtundentia, verumetiam stupefacientia medicamenta sint iniicienda. In quem sanè vsum conuenit hoc vti clystere,

Clyster abstergēs

Infusum conglutinans.

Dolor leniens infusum.

quod ℞ lactis caprini aut vaccini ℔ i. butyri salis experti ℥ i. adipis caprini ℥ i s. tragacanthe, gummi arabici an̄ ʒ i. vitellos ouorū numero iii. M. pilularum de cynoglossa ʒ i. olei rosacei ℥ iii. misce, fiat clyster. Si vehemētiori stupefactiōe opus fuerit, opii grana aliquot pro pilulis de cynoglossa adiice, nempe tria aut quatuor. Cæterùm si in tenuibus intestinis exulceratio cōsistit, tum remedia quæ per os sumuntur, magis desiderat. Cōuenit itaq; decoctum ex rebus adstringentibus suprà cōmemoratis, adiectis syrupis rosacco & myrthino, cum aliis quæ in cap. de Diarrhœa dicta sunt, exhibere. Potest etiam hoc medicamētum assumi, quod ℞ decocti radicis symphyti, aut alterius medicamēti adstringentis ℥ iii. syrupi rosacei ℥ i. syrupi myrthini ℥ s. pulueris trochiscorū de spodio, seminis plantaginis, boli armeniæ an̄ ℈ ii. misce, fiat potio. Extrinsecùs præter ea quæ cōmemorata sunt in capitibus de Diarrhœa & Lienteria, admouendū erit hoc ceratū, quod ℞ oleorū masttichini, rosacei, myrtini, cotoneorū an̄ ℥ i. farinę hordei, fœnigręci an̄ ʒ i s. rosarū rub. plātaginis an̄ ʒ i. balaustiorū, sanguinis draconis an̄ ʒ s. Boli armenię, ʒ i. hypocistidis, acatię, mastiches an̄ ʒ ii. cū cera & resina quod satis est, fiat ceratū. Possunt & multa alia ad exēplum illius cōponi, quæ cōmemorare singula & superuacaneum & inutile indico.

Si in tenuibus sit exulcēratio.

Extrinsecùs quæ adhibenda.

Ceratum optimū.

DE TENESMO. CAP. XI.

τεινεσμός. Tenesmus est assidua & quæ differri ac deuitari non potest, desidendi seu egredi cu piditas, qua tamen nihil pręter modica cruēta, vel mucosa, egeritur. Latinis tenesm⁹, barbaris medicis nostri temporis tenasmus.

Causa. Fit interdum propter frigiditatem extrinsecùs occurrentem, humores acres, biliosos, aut pituitam salsam, vlcus, aut inflammationem in intestino recto obortam. Interdum etiā stercoris in intestino cæco coacti obstructio tenesmum efficit.

Signa. Causam extrinsecā de sermonibus ęgri intelliges, quia nimirum podice attigit res frigidas, aut hyberno tempore frigus nimium pertulit, aut in aqua frigida diutius commoratus est. Humores ex iis quę excernuntur dignosces, quæ vel biliosa aut pituitosa erunt. In vlcere purulenta ac saniosa excernuntur, & in ano doloris pungentis sensus inest. Inflammatio tumorem recti intestini, & dolorē grauatiuum vnà cum febre efficit. Stercoris multitudinem grauis distentionis sensus circa imum ventrem sequitur.

Curatio. Si à frigore. Curā di ratio iuxta causarum diuersitatem variatur. Si itaq; tenesmum frigus præcesserit, vinum meracum calidum bibendum dato: ac pectinem, inguináq;, ac inter anum & scrotū intercapedinē, περιναῖον Gręci vocāt, oleis ac fomentis calidis irrigato ac foueto: qualia sunt rutaceum, & liliorū alborū. Fur-

fures autem in vino decocti, ac sacculo exce
pti, cõmodè sedi adhibentur. Clysteres quo-
que ex decocto mentastri, origani, calamin-
thæ, chamæmelo, abrotano, semine anisi, fœ
niculi, & similibus cõfecti, adiectis oleis ane
thino, chamęmelino, liliaceóque, iniicere o-
portet. Porrò mirificè cõfert, si statim ab ex-
cretiõe admoueatur later perquàm vetustus
& à fumo denigratus, vnà cum complexis in
eo paleis tusus, deinde feruẽti aceto subact⁹,
linteolóque illigatus sedi subditus. Cæterũ
si à biliosis humorib⁹ in ano ac intestinis de-
tentis fiat tenesmus, clysteres quibus abster-
gendi atque abluendi inest facultas, iniicien
di sunt, qualis est qui ℞ decocti hordei ℔ i.
sacchari rub. ℥ i s. mellis rosacei ℥ i. vitellos
oui numero ii. olei rosacei ℥ iii. misce, fiat e-
næma. vitet omnia acria æger, ac vtatur me-
diocriter frigidis & humidis, quę bilis feruo
rem obtundere possint. Si à pituitosis hu-
moribus procreetur, tum curabitur vt is qui
à frigore factus est, adiectis tantũ clysteribus
iis, quæ pituitam vacuare possunt medicamẽ
tis, benedictâ nimirũ laxatiuâ, aut eclegma-
te indi, vel diaphœnicôn. Si verò ab inflãma
tione oriatur tenesmus, ptisanæ succus, pau-
cis rosis rubeis simul cum eo decoctis infun-
datur. Aut vehementiori infestante inflãma-
tione, ℞ decocti plantaginis ℥ v. olei rosacei
℥ ii. oui ablumen vnum. misceãtur omnia, &

Si à biliosis humoribus.

Si à pituitosis.

Si ab inflammatione.

iniiciantur per clysterem. Extrinsecùs perinæon, hoc est, locus inter scrotũ & anũ, oleis rosaceo & myrthino irrigãdus. Aut adhibeatur tale fomentũ, quod ℞ rosarum rub. plantaginis añ M i. balaustiorũ ʒ iii. sidiorum ℥ i. baccarum myrthi ʒ ii. foliorũ rubi ℥ i. Decoquantur singula in aqua sufficiẽti, donec tertia pars absumatur. In eo decocto imbuta spógia sedi adhibeatur. vbi opus est suppuratione aut digestione, fomenta ex decocto radicis althææ, fœnogræco, chamomillæ, meliloti, & furfurum cõposita adhibenda erũt.

Fomẽtũ.

Si verò ab vlcere fiat tenesmus, primũ abstergentia infusa, dein glutinantia, haud secùs quàm in dysenteria, admouenda. vnguẽtum etiam hoc sedi inditum cõfert, quod ℞ olei rosacei ℥ i s. mucositatis tragacanthæ, gummi arabici añ ʒ iii. cerusę, plubi vsti añ ʒ s. aloës, thuris añ ℈ i. ceræ quod satis est, fiat vnguentum, quo linamenta imbuta sedi indantur. Si dolor immensus fuerit, prędictis opii ℈ i. addi potest.

Si ab vlcere.

Vnguentum.

Si à stercoris multitudine oriatur tenesmus, tum clysteribus leniẽtibus paulatim stercora educi debent, hoc nimirum vel simili, quod ℞ maluæ, althææ, mercurialis, betæ, foliorum violæ añ M i. se. fœnigræci, lini añ ℥ s. Bulliant omnia in aqua sufficiẽti, donec tertia pars absumpta fuerit. ℞ colaturæ ℔ i. & dissolue in ea casiæ fistularis ℥ i s. olei communis ℥ iii. salis triti ʒ i. fiat enema.

Si à stercoris copia.

Clyster.

Porrò hoc etiam vnice cauendum erit, ne purgantia tum medicamenta bibenda dentur, quòd inde summum ægrotanti exitium inmineat, attractis aliunde éxque toto corpore ad priorem copiam stercorum excremẽtis, vt diffusè in Paradoxis docuimus.

DE COLI DOLORIBVS. CAP. XII.

Dolor qui in laxiore intestino, quod colon appellatur, suboritur, ob multas causas fieri solet, potissimũ verò quatuor. Primùm propter crassos & pituitosos humores intra coli membranulas subsidentes. Secũdò, propter flatulentos spiritus, quibus nõ sit exitus. Tertiò, ob inflammationem, intestinũ hoc distendens ac male habens. Quartò, propter acres & erodentes humores, qui colon dictũ intestinum infestant. Quibus crassus pituitosúsque humor dolorem excitat, hi per totum abdomen in alto excruciantur, præsertim verò vbi coli situs est, ibi quasi tundi ac perforari intestinũ sentiunt. Tormina quoq; affligunt, ructus, nausea, vomitio varia, potissimũ pituitæ. Aluus grauiter impedita nihil reddit, ac ne spiritũ quidem transmittit. Stercus autẽ quãdoq; excretũ, bouino simile videtur, leue & flatus plenũ. Pręcedẽs horũ causa est, continuus ciborũ quàm maximè frigidorũ crassíq; succi vsus, satietas, cruditas, ocium, & iis finitima. Qui autem ex spiritu flatulento dolẽt, tensionem magis experiũtur,

Causæ.

Signa.

Quibus verò propter internũ inflammationis feruorem dolor accidit, hos febris haud ignaua vexat, vrinæ quoq; simul & stercoris retentio accidit, pulsus hos etiam iuxta ventrem exercet, sitis, ardor, nausea, & vomitiones potissimum bilis, quę nihil leuant malũ. Hæcque omnium grauissima est, quæ in ileũ transitionẽ minatur. Quibus acres rodẽtésq; succi dolorẽ mouent, sicut etiam qui inflammationem experiuntur. hos ardor, sitis & vigilia torquet, immò & febriculæ, sed minus quàm illos. Vrina redditur acris, & biliosa deiiciuntur. Sæpiùs autem alui deiectio maiorem excitat cruciatum, grauiúsque irritãt calidiores cibi potúsq; assumpti. Quo verò pacto coli & renum affectus discernẽdi sint, docet Galenus lib. 6. de Aff. loc. cap. 2. Victꝰ & curãdi ratio iuxta causarum diuersitatem variatur. Quum itaq; crassi ac lenti humores doloris causa existunt, victus ratio in vniuersum extenuans sit. Panis itaque quo vescitur æger, recens ac in clibano aut furno probè sit coctus. Ex carnibus conueniunt in primis volucrium, gallinæ nimirum, perdicum, palumborum, turturum, & columbarũ. Fugienda omnia volucriũ genera, quæ in aquis degunt. Ex quadrupedum animantium genere cõueniunt carnes vitulinæ & hœdinę. Legumina omnia vitanda, quòd huic passioni incommoda sint. Inter olera conueniunt apiũ,

Curatio doloris coli à crassis & pituitosis humoribus. Victꝰ ratio extenuãs

aſparagus, & ſimilia: allia quoque cruda, & cepas deuorare, haud nocebit. Et vt ſummatim dicam, alimēta ſint boni ſucci, & concoctu facilia, ſatietáſq; ac cruditas vitetur. Bibendum vinum ſubadſtringens, albū, tenue, pellucidum, mediocri ætate, temperatura dilutiore. bibatúrque modicè. Quod verò ad curandi rationem attinet, ſi craſsi & glutinoſi humores dolores contraxerint, medēdum quidem ſic vt non vehemēter calefaciamus, quippe ab huiuſmodi præſidiis diffundūtur & inflantur omnes frigidi ac craſsi humores, qui inteſtina diſtendendo augēt dolores. Cōuenit itaq; ipſos diſſecare & concoquere citra vehementem calorem, & per eorum quæ minimè inflant, vſum. In exacerbationibus igitur irrigationes fiant ex oleo rutaceo, chamæmelino, & anethino. Item fomenta, & ſacculi ex florib⁹ chamæmeli, anethi, meliloti, ſeminibus lini, fœnigræci, althææ, & milio. Mirificè autem conferunt clyſteres ex oleis iam commemoratis, & decoctò prædictarū herbarū, aut cucumis ſylueſtris radicum, adiectis cumino, vel ruta cū adipe anſerino vel gallinæ, confecti ad eum modum. ℞ maluę, althææ, chamæmeli, mercurialis, anethi añ M i. origani, calaminthæ, pulegii añ p. i. ſeminum lini, fœnigręci, cumini, ſmyrnii añ ʒ iii. coquātur ſingula in aqua fontana, donec tertia pars abſumatur. ℞ colaturę ℔ i. hieræ pi-

Curatio.

Anodyna.

Clyſter.

cræ ℥ s.benedictæ laxatiuæ ʒ v.eclegmatis indi ʒ i s.mellis rosacei colati ℥ s.oleorum chamæmelini, anethini, rutacei,añ ℥ i. vitellos oui numero ii.salis communis ʒ i s.misce,fiat enæma. Glãdium etiam admotiones, illitionésq; sedis,ex succo cyclamini cum melle & nitro,vel centaurio minore cum melle & nitro. Glandes autem sic componi debent. ℞ mellis cocti ℥ i s. specierum hieræ picræ ʒ i. colocyntidos ℈ i.salis gemmæ ℈ s.misce,fiãt glandes oblongæ.vomitus etiã ante cœnam si quis facile vomat,præ omnibus auxiliatur. Porrò vbi facta iã euacuatione dolores producũtur in multas horas,in soliũ olei calidi, aut si hoc fieri non potest,in hydrelæum descendere alienum non est. Insessus etiã vtilis ex decocto althææ, pulegii, foliorum lauri, fœnigræci,chamæmeli,artemisiæ,anethi, & similium. Conuenientissimum verò ad colicos medicamentum, vinum absinthites existit,si prælibatiõe à balneo opus habẽt. Estq; etiam nõ sitientibus valde commodum. Decoctum quoq; herbæ ipsius,vbi semel tãtum ebullierit,pari modo ad vinũ quod aliàs pro consuetudine bibunt,admixtũ, vtiliter à balneo præbetur. Castoreum etiam assidue potatum,totius affectionis malũ demolitur, omnibúsq; medicamẽtis præstat. Datur eis drachma vna in trib⁹ cyathis aquæ mulsæ. Quòd si dolor non conquieuerit,propinãdum erit

Glans.

Vomit⁹.

Vinũ ab sinthites.

Castoreum.

medicamentum diatriôn piperceôn, vel theriaca. Quòd si vero dolor est vehemens, mediocriter lenientibus ac mitigantibus vti cõuenit medicamẽtis ab inferioribus partibus inditis, aut potis. Nam quæ valenter stupefaciunt vitare oportet, quod paulisper quidem leniant, sed diuturniorem affectum efficiãt. dum materiam incrassant, meatúsque intestini condensant. Anodynis itaq; propriè vocatis medicamentis, quorum aliqua initio capitis dicta sunt, iterũ vtendum. Quæ autẽ à tota substantia colicis auxiliantur, multa sunt. Lupi autẽ stercus, maximè album, ex aqua aut vino albo tenui summè conuenit. Melius autem stercus censetur, quod non in terrã delapsum reperitur, verum in fruticem aut herbam excretum. Mirum etiam in modum colicos iuuat, amuleti instar iliis ægroti alligatum idem lupi stercus. Reliqua apud Aëtiũ lib. 9. cap. 31. descripta habes. Porrò si flatulẽtus spiritus doloris causa fuerit, clysteres qui flatus discutiũt infundendi, qualis est qui ℞ abrotani, origani, pulegii, calaminthæ, chamæmeli añ M i. rutæ, mẽtę, parietarię añ M s. sẽminũ anisi, fœniculi, carei, cumini, anethi, smyrnii, dauci añ ℨ ii. Decoquãtur, donec tertia pars absũpta fuerit. ℞ colaturę ℔ i hieræ picræ, benedictæ laxatiuæ añ ℥ s. castorei ℨ i. specierũ diacumini ℨ ii. oleorũ rutacei, anethini añ ℥ i s. salis cõmunis ℨ i. misce, fiat enę-

Stupefaciẽtia vitanda.

Quę à tota substãtia conferunt colicis.

Coli doloris à flatulentibus curatio. Clyster.

ma. Poteſt etiam prędictis addi eclegma de baccis lauri, quo ad diſcutiendos flatuoſos ſpiritus nihil eſt efficacius. Proderit etiā eius eclegmatis quātitatē nucis auellanę, in decocto aliquorū incidētiū medicamētorū indies propinare. Extrinſecùs autē abdomē iis quæ flatus diſsipant, fouendū ac irrigandum erit.

Flat⁹ diſsipantia.

Sunt autem pręter ea quę dicta ſunt, nigella, ammi, oreoſelinum, amygdalæ amarę, piper nigrum, mentaſtrum, baccę lauri, abſinthiū ſemen vrticæ, acorus, maiorana, & cinamomū. Ex iis itaque cataplaſmata, fomenta, aut ſacculos cōficies.

Cucurbita magna.

Quod verò reliqua omnia vincit, & incantamēti cuiuſdam ſimile quid efficit, Galeno lib. 12. Ther. meth. cap. vltimo teſte, eſt cucurbita maxima leuis cū copioſa flamma toti abdomini affixa.

Victus.

AEger etiam à diluti vini, & frigidæ aquæ potu, lactis & aliorum refrigerantium, ac flatuoſos ſpiritus gignentium alimētorum vſu, ſibi caueat. At vini potius meracioris potu, victúsque ratione reliqua calefaciente ac incidente vtatur. Prætereà inflammatione inteſtinum exercente, vena in cubito aperienda eſt. Si verò vrinę difficultas ſuperet ac dominetur, ex malleolo ſanguis detrahendus erit.

Coli doloris ab inflāmatione curatio.

Prædictis etiam vtendum remediis, exceptis acribus, & vehemēter purgantibus. Enæmatis verò potius lenientibus, item cataplaſmatis, & irrigationibus, & in oleum deſcenſu vtendum,

cucurbitulas etiã iis affigimus. Victus autẽ ratio tenuis sit, & ferè febricitãtiũ, donec inflammatio soluatur. Atqui si propter acres rodentésque humores dolitant ęgri, per sedẽ infundere conuenit ea quę humores eluere, atque citra mordacitatem purgare possunt: cuiusmodi est ptisanæ succus, aut decoctum fœnigręci, seminis lini, chamęmeli, & althęę cum adipe recenti anseris vel gallinę, & rosaceo oleo. Conuenit autem hoc potissimum enęma, quod ℞ foliorum violæ, intybi domestici vtriusque, foliorum althææ, chamęmeli añ M i s. seminum fœnigręci, lini añ ℥ s. Bulliãt in aqua sufficienti, donec tertia pars absumpta fuerit. ℞ colaturę ℥ xiii. casię fistularis ℥ i. hieræ picræ ʒ vi. olei rosacei ℥ ii. olei anethini ℥ i. pinguedinum anseris, gallinę añ ʒ iii. vitellos oui numero ii. misce, fiat enæma. Nõ autẽ solùm vacuare, verũetiam temperare infestantem humorem oportet. Quapropter balneis ex dulci aqua vtendum: ea enim mitigare, & somnũ conciliare possunt. Exhibẽdus etiam syrupus violaceus & rosaceus, & alia eiusmodi, quæ contemperare, ac vim mordacium humorum obtundere valent. Vtendum etiam cibo sorbili, ptisana nimirum, ác piscibus saxatilibus. Abstinẽdum acribus omnibus tum cibis, tum medicamentis, fomẽtis, irrigationibus, cataplasmatis calentibus, necnon vini potione, potissimũ ve-

Victus.

Coli doloris ab acribus & rodentibus humoribus curatio.

Enæma.

Balneã.

Victus.

teris. Et vt rem paucis perstringam, tota vi-
Stupefacientia. ctus ratio humidior & frigidior sit. Quum autem dolor nihil remiserit, sed vehemētius subinde sæuierit, ad stupefacientium vsum confugere oportet. In hac enim passione, nō solum quod sensum stupefaciunt, sed & quia humores tenues incrassant, calorémque refrigerant, opitulantur. Inter ea verò potissimū philonium conuenit, de quo vsque ad integram drachmam exhibere licebit. Et catapotia de cynoglosso inscripta, ex vna drachma, vt antea quoque dictum est, sex conficiendo pilulas, vnámque ante cubitum exhibendo, mirificè conferunt.

DE ILEO. CAP. XIII.

εἰλεός. Ileos, passio est intestinorum tenuiū, grauissimos & letales dolores inferens. Sic dicta à circumactione doloris. εἰλεῖσθαι siquidem Græcis est circumuolui, & circumagi. Hinc

Conuuluulus & voluulus. est quod Latinis cōuoluulus & voluulus dicatur. Barbaram sectantes medicinam, Iliacā nominant. Contrahitur id vitii continua ci-

Causæ. borum corruptione & cruditate, maximè autem à pinguibus carnibus. oboritur etiam ex plagis ac ictibus quibusdam, iis locis vbi tenuia intestina sita sunt, factis. ex frigore vehementi constringente, àc recremēta retinentia. Cōtingit & iis, quibus intestinum in scrotū vnà cum stercore delapsum est, indéq; violēter retrusum, ex eóque inflammatum existit.

vit etiam ob veneni potionem, & ob indura tum stercus, circa tenuia ĩtestina impactum. Familiaris est hęc passio pueris, euadunt tamẽ beneficio naturalis humiditatis. Senibus verò nõ valde familiaris est: si tamẽ ipsi hãc pasionem incidant, ferè nunquam conualescunt. Accedit ægris dolor vehemẽtissimus, & tumor aliquis in tenuium intestinorũ parte eminet, vt videatur intestinum ad chordæ similitudinem conuolutum: vnde etiam cordapson nonnulli hanc passionem appellauerunt. Adest etiam stomachi nimia humectatio, exolutio, ructus inanes nihil alleuantes, murmura intestinorum, cohibitio perfecta stercoris & flatuum. Si verò intendatur adfectus, omnia sursum ferũtur, obídque vomitus pituitę ac bilis accedunt, frigiditas totius corporis, dolórq;, plurimis etiã spirandi difficultas. Morituris autem amplius sudor frigidus, vrinę difficultas, podex ita adstrictus vt neque specilli extremum suscipere possit. Aliquando & stercus vomitu reiicitur. Siquidem igitur à cruditatibus, ac multis variisq; cibis ingestis fit malũ, potissimũ vbi crudus cibus adhuc insidere ventri videatur, vomit⁹ cõcitandus erit. Si verò nihil crudorũ ciborũ in ventre cõtineatur, omni conatu enitẽdum est, quò tũ flatus, tum stercora infrà trahãtur: ídq; per clysteres, glandes, & illitiones, magna diligẽtia in singulis adhibita perficiẽdũ.

Signa.

Cordapsos.

Curatio. Ilei à cruditatibus

Enæma. Fiat itaque tale enæma, quod ℞ mercurialis, rutæ, foliorum althææ, centaurii minoris añ M i. hyssopi, calaminthæ, absinthii añ M i s. radicis altheę ℥ i. radicis cucumeris sylucstris ʒ i s. seminum lini, fœnigræci añ ʒ iii. seminis cumini ʒ ii. Bulliant in aqua sufficiēti, donec tertia eius pars absumpta fuerit. ℞ colaturæ ℥ xiiii. benedictæ laxatiuæ ℥ i. butyri recētis, mellis rosacei colati añ ℥ s. oleorum rutacei, anethini añ ℥ i s. salis ʒ i. misce, fiat clyster. Infundendus est ante cibum: vrgente verò malo, etiam à cibo. Pręcipiendúmque vt quamdiu quidem queant ægrotantes retineāt.

Glans. Glādes quemadmodum in coli doloribus parandę, adiectis semine rutæ, cumino, & brassicæ caulibus. Lōgiusculas etiam facere oportet, vt profundius penetrare possint. Cyclamini succo, aut melle cum nitro podex illinendus. Hoc denique malum cataplasmatis, & fomētis, sicut in cap. de colicis comprehensum est, curare oportet.

Fomenta. Conueniunt aūt potissimū fomenta ex lanis oleo, in quo cuminum, anethum, ruta, & nasturtium decocta sint, madefactis. Cataplasmata autem ex semine lini, fœnogręco, farina hordeaca, loliacea, ruta, cumino, anethi semine & apii. In soliū etiam aqua & oleo confertum descendere cōuenit. In aqua verò althęa, ruta, anethū, & alia quæ dicta sunt decoquātur.

Cucurbitæ. Post hęc cucurbitę affigātur, primū quidem ad remotos locos, le-

ues, deinde ad ipsos etiā dolore affectos: scarificationésque profundiores fiant. Purgationes etiam assumere conuenit, potissimū vbi primū per ea quę dicta sunt, stercora primū ad inferiora tracta fuerint Mirificè ipsis conducit, si vomuerint, anethū coctum potúmq;. A potu autē panem in aquam feruentem cōiice, eiúsque frusta calida confestim edenda prębe. Si verò à venenoso medicamēto quis in ileon incidat, aquam tepidam multam bibendam dabimus, vomeréq; cogemus. Deinde oleum calidum in potu dandum, aut pinguia iura, vt rursum vomāt. Posteà ita parū, perquiescāt, & deinde statim theriacen cum vino dissolutā accipiant. Cibi eis exhibeantur boni succi. Quòd si obstructio perseuerauerit, aluus lacte scisso, cum modica aloë, aut alio medicamēto purgante vacuanda erit. Si ab inflammatione ileos orta fuerit, à venę sectione auspicandū erit, deinde cucurbita inflammatis partibus per ambitum scarificatis affigenda, & enæmata ex decocto maluę, fœnigręci, seminis lini, cum oleo & butyro immittenda. Extrinsecùs etiam ea quę inflāmationibus cōducunt, & dolorem leniunt, vt in capite etiam de coli dolore dictum est, apponenda. Et in inedia ad tertium vsq; diem seruādi. Si ex intestini in scrotū delapsu ileos accidat, confestim tētandum est, vt decubitu sursum versus vergente adornato, delapsum

Purgationes.

Ilei à venenoso medicamēto curatio.

Ilei ab inflammatione curato.

Ilei ex delapsu intestini in scrotū curatio.

intestinum ad inguinum partes retrudatur, atque leniter citra violentiam ac compressionem, ligatura fasciáve adhibita contineatur.

DE LVMBRICIS. CAP. XIIII.

ἕλμινθες. Lumbricorum (Helminthes Greci vocāt) tres sunt vniuersæ differentię. prima teretum seu rotundorū, altera latorum, tertia eorum quos ascaridas nūcupāt. ἕλμινθες στρογγύλαι, hoc est, teretes lūbrici speciē habēt omnibus perspicuam: nempe secundū crassitudinē rotundi sunt, longitudine verò palmares, & aliquādo longiores, & aliis frequentiores sunt. In gracilibus plerunque intestinis cōsistunt, & superiorem ventriculum subeunt, ideóque frequēter per os reiiciuntur: quibusdam & è narib. redduntur. Atq; hoc genus infantibus & pueris atque his qui ad pubertatem accedūt peculiare est. Lumbrici lati à Gręcis medicis ceirię, hoc est institę, à similitudine quā ad institas habent. qua ratione etiam Tæniæ ab iisdem vocantur, quod instar fasciarū sint lati & longi. Incredibilis enim longitudinis sunt tæniæ, vt Plinio autore lib. 11. cap 33. tricenum pedum aliquando visæ sint, aliquādo etiam plurium. Nihil autem est latus lumbricus, nisi permutatio intrinsecus tenuia ambientis intestina mēbranę, in corpus quoddam viuum, & animalis modo mobile. Ascarides tenues ac breues, vermibúsq; similes lumbrici sunt. In extremo longanone, & ani fibula

Teretes.

Lati.
κειρίαι.
ταινίαι.

ἀσκαρίδες

(sphincterem nominant) initio reperiuntur,
Origo omnium generũ est ex cruda, crassa. Causæ.
pituitosáque materia, & putredini accõmoda, qualis in pueris aliísque voracibus colligitur. Sequitur eos qui rotundos lumbricos continẽt, incredibilis morsus intestinorũ & ventriculi, tussiculęq; tenues ac exiguę, & frequenter irritantes, quum tamen nihil reiicia tur. Nõnullos comitatur singultus, & somn⁹ cum tremore: & qui his occupãtur sine ratione expergiscuntur, nonnulli & cum clamore exurgunt & prosiliunt, & iterum sopiuntur. Quidã verò & linguam foras protrudunt ac exerunt, oculósque claudũt, taciturníq; sunt, excitantibus indignãtur, ob imbecillitatem vigilare nequeuntes. Quidam autem oculos sanguine suffusos habent, & pulsum inęqualem, obscurum, deficientem, & recurrentem. Quibusdam etiam appetitus perditio accedit. Pueris insuper dum dormiunt manducatio linguæ, cui accedit conformatio oris in modum lactẽtium, aut accipientium cibum. Plerisq; verò aluus deiicit, corruptos egerẽs cibos, & tympani modo inflatur. Reliquum corpus sine ratione contabescit, neque esurie pręcedẽte, neque euacuatione immodica facta. Atqui nõ in omnibus omnia quę iã commemorauimus signa sunt singulatim inquirenda, sed quæ reliquis præpollent, & principatum tenent; aliquando verò & plurima.

Signa rotundorũ.

Signa latorum. Latus lumbricus continuos stomachi morsus infert, & ad cibos impotentem ac incorrigibilem appetitum. Nam quod animatũ eua sit intestinis obiectum rapit alimentũ, vt alio statim opus sit: & nisi assũpserit, intestina rodantur. Cõsequitur sic patiẽtes, corporis gracilitas & imbecillitas, assiduúsque famis sensus. Infallibile aũt ac certissimum iudicium, si cum recremẽtis quędam cucurbitæ semini

Signa ascaridum. similia excernantur. Ascarides vehemẽtem pruritum in ano excitant, assiduéque ad egerendum irritãt: & qui hoc malo afficiuntur, vt plurimum ab excretione melius habent.

Victus. Victus ratio calida & sicca sit, potissimum si febre ęgrotantes vacauerint, cibísque vtantur probi succi, & qui facile in membra digerantur, nec lumbricorũ effectricem causam adaugeant. ideóque omnia quæ pituitosos humores procreare possunt, fugiẽda. liberalius nutriantur, famémque minime ferant: quòd lumbrici nisi cibũ habeant quem cõsumant, postea ipsa solida corpora arrodãt. Dabitur autem cibus tum præcipue, quum non prorsus inaniti fuerint. vinum bibant aquosum.

Curatio. Cęterùm curandi ratio non differẽda: quòd multi nulla lumbricorũ ratione habita, corrosi ab iisdem, & cõuulsi interierint. Curatio verò tam rotundorum quàm latorum in hoc

Simplicia me- cõsistit, vt hos prius occisos, expellamus. Occiduntur autem amaris potissimum medica-

mẽtis, inter quę simpliciora hæc sunt: Absinthium, abrotanum, calamintha, marubium, dictamus, hyssopus, ruta, folia persicorũ, coriandri semen, cornu ceruinum lupini, mẽta, pulegium origanum, centauriũ minus, filix, gentiana, aristolochia rotũda, esus alliorum, braſsicæ semen, & helenii radix. Inter omnia autem laudatiſsimũ remediũ est aloë. Quia verò infãtes aloën grauiter propter suã amaritudinem admittũt, supinis fasciola ipsis detentis ore adaperto ac diducto per fistulam quãdã valido munitam canali, inuitis illam iniiciemus. Ex dictis itaq; medicamẽtis simplicibus, varia componi medicamenta possunt, nimirum decocta, pulueres, cataplasmata, emplastra, & vnguenta. Cõuenit autem is puluis, præter alia, qui ℞ seminis lũbricorũ ʒ ii. centaurii minoris, absinthii, cornu cerui ni vsti aã ʒ i. calaminthæ, pulegii, origani aã ʒ s. abrotani, mentæ, lupinorũ, foliorũ aristolochiæ rot. aã ℈ i. aloës ℈ ii. misce, fiat puluis, de quo detur drachma vna, aut semis, pro ætatis & habitus corporis ratione in lacte, aut melle, aut syrupo de dulci radice. Nã debent ea quæ lumbricos enecãt, cũ dulcibus liquoribus propinari, quò citius medicamẽta dulcedine illa allecti lumbrici amplectãtur. Extrinsecùs vmbilicus felle taurino, aut hoc vnguento illinẽdus, quod ℞ olei amygdalarũ amararum, olei de absinthio, aã ℥ i. fellis tau-

dicamenta lũbricos occidentia.

Composita.

Puluis.

Vnguentum.

rini ℥ s.cētaurii minoris, absinthii lupinorū, añ ℈ ii. foliorū persicorū, cornu ceruini vsti aloës, abrotani añ ℈ i. ceræ quod satis est, fiat vnguētum. vel imponatur toti vētriculo hoc

Ceratū. ceratum, quod ℞ aloës, absinthii, farinæ lupinorum añ ʒ ii, nigellæ, mētæ, origani, pulegii, marubii añ ʒ i. cētaurii minoris, calaminthæ añ ʒ s. oleorum de absinthio, amygdalarū amararū añ ℥ ii. olei costini ℥ i. fellis taurini ℥ s. cum cera & resina q.s. fiat ceratum. Ad imaginem illorum possunt componi emplastra & cataplasmata, ita vt peculiaria horum paradigmata ascribere minime sit necessariū. Ab inferiorib. etiā partibus mulsam iniicere copiosiorē expedit, quò lumbrici mellis dulcedine illecti, deorsum descendant. Cæte

Lūbrici enecati vt expellendi. rùm enecatos iā per pharmaca prædicta lūbricos, citra dilationē expellere oportet. Vitiosa enim ex ipsis exhalatio procedit, quæ & appetitum & cōcòctionem lædit. Extrahūtur autem per glādulas suppositas, aut medicamenta purgātia assumpta: potissimū verò per hieram picram, & pilulas cōmunes (quæ alio nomine pestilentiales vocantur) quæ sanè mirificè in educēdis lumbricis conferūt.

Si alui profluuium accedat. Porrò qui lumbricis cum alui profluuio infestantur, eos fluorem inspissando, & concoctionem tum per cibos, tum per cataplasmata in melius permutādo, curare oportet. in quātum enim profluuium inualescit, tan-

tum etiam lũbrici interquiescũt. Quare diligenter conandum vt aluus adstringatur, firmitásque ei adiiciatur. His itaque plãtaginis succus propinãdus, vel ipsa etiã arida plãtago assuméda. Ex æquo enim vtriq;, & fluori ani & lũbricis efficax est. Cataplasmata etiã, cerata & vnguenta ex cruda hordeacea farina, malicorio, acatia, hypocistide, & similibus adstringentib. Concinnanda, adiectis iis quæ ad lumbricos interficiendos sunt prædicta. Conferunt autem adstringentia, & hoc etiam nomine extrinsecùs admota, quòd vẽtriculum ex amarorum medicamẽtorum assumptione læsum iterum corroborent. Licebit & in hoc casu vermes terrenos exiccatos, & in puluerem redactos, cum hydromelite exhibere. Ascarides in infantibus vacuãdi sunt cum glãdibus ex melle & sale cõfectis. In prouectiorib⁹, clysteribus ex decocto absinthii, centaurii minoris, calaminthæ, lupinorum, & aliorum suprâ commemoratorũ, oleis adiectis, compositis. Post clysteres longanon simplicibus quidem acatia, hypocistide, rhois succo, aut alio adstringẽte sublinẽdus est. Coacta enim ab adstringẽtibus caro corroboratur, aptitudinémq; ad animalculorum generationẽ amittit, atq; ascaridas ipsas èxcludit. Hoc verò & pueris, & qui perfectæ sunt ætatis conducit, efficacissimúmque existit. Carnẽ veterẽ salitam, pinguedine dera-

curatio.

sa, sublongam & rotundã formabimus, atq; ita adaptatam podici atq; sphincteri intrudemus: ligamentóque adhibito, quandiu sustineri possint, inditam sinem, deinde soluemus, simúlque ascarides illi adhærẽtes educemus. Posthæc prædicta infundemus, atque illinemus.

DE HAEMORRHOIDIBVS SEDIS. CAP. XV.

αἱμοῤῥοΐδες. Hæmorrhoides venarũ in sede sunt explicationes dilationésve, à sanguinis defluxu sic appellatæ. Harũ aliæ cęcæ, quæ scilicet intumescunt, & nihil aut parũ admodũ sanguinis excernunt. *Apertæ.* Aliæ apertæ, quæ videlicet certis quibusdam temporibus pãduntur, & sanguinem emittunt. *Causa.* Fiũt autem hæmorrhoides, propter copiam sanguinis fœculẽti & melacholici, quem iecur ad ipsas reponit. *Signa.* Signa verò per quæ affectus deprehẽditur, satis manifesta sunt. Oculis enim cõspiciuntur cæcę, & dolorem vehementem, potissimum in excernendo stercore, excitat. Apertæ sanguinẽ fundunt, qui latere sic laborãtes haud potest.

Curatio cæcarum Quum itaq; cæcæ apparuerint hæmorrhoides, & magnos in ano cruciatus excitauerĩt, corpúsque plethoricum fuerit, vena poplitis aut malleoli incidenda erit. Aluus etiam affatim leniter subducentibus medicamẽtis mollienda, ne arida stercora dũ excernuntur, dolorẽ faciant. Apponẽda quoque ea sunt, quæ

dolorem, vbi vehemens fuerit, mitigare possunt. Ex quorum numero est mica panis in lacte macerata, & cũ oui vitello decocta, & instar emplastri admota. Prodest etiã balneum ex decocto maluæ, foliis violæ, meliloti, fœnigręci, chamęmeli, foliis althææ, semine lini, florib⁹ verbasci, & similibus apparatũ. vel si eo vti non poterit, lanæ aut spongiæ in decocto illo madefactæ, dolẽti loco adhibeantur. Quòd si prædicta nihil contulerint, sanguinẽ ab iis elicere oportet. Quapropter cyclamini succum, aut cepæ, aut fel bubulum lana illitum intra anum imponere oportet. Idem etiam potest centaurii minoris succus, stercus columbinum, staphysagria, folium ficus, si cum eo fricentur, & medulla collocynthidis in oleo amygdalarum amararum macerata. Potissimum verò hoc emplastrũ confert, quod ℞ stercoris columbini ℥ s. seminis staphysagriæ, lupinorũ añ ʒ i s. amygdalarũ amararũ ʒ i. medullæ colocynthidos ʒ s. succi cyclamini, cepę añ ℥ i. misceantur singula, & ad formam emplastri reducantur, adiecto si opus erit oleo amygdalarũ amararũ. Glãdes etiam oblongæ ex radice cyclamini paratæ, in anum indi possunt. Hirudines etiam in harundine inclusæ, ita vt caput exerãt, hæmorrhoidibus vt adaperiãtur, imponi solẽt. Has vbi amouere nõ poteris, cinere illarum capiti insperso decidere sua sponte facies.

Dolores sedantia.

Hæmorrhoides aperientia.

Emplastrum.

Glandes.

Apertarum curatio.

Cæterũ si apertæ fuerint, & sanguinẽ modicè per certa interualla fuderint, minimè supprimẽdæ sunt: quòd huiuscemodi sanguinis eruptio hac paßione detẽtos homines à multis malis immunes reddat. Id quod in primis testatur Hippocrates, qui sic scriptũ reliquit: Habẽtes Hæmorrhoidas, neque laterũ dolore, neque pulmonis inflammatione, neq; depascenti vlcere, neque furunculis, neque terminthis, pariter neque lepra, neque vitiliginibus corripiuntur. Quòd si verò immodicè ac iustò largiùs sanguinem fundãt, sic quòd ęgri hoc malo cõtabescant, ac illorum robur deiiciatur, supprimẽdæ erunt: quòd aliàs periculum sit, ne aqua intercus, iocinore ob immodicã euacuationem refrigerato, sequatur.

6. Epid. par. 3. ap. 29.

Victus.

Cibi itaque erũt iis qui supra modũ inaniuntur pauci sanguinis, efficaces, & minimè recrementitii, quiq; siccant & adstringũt: cuiusmodi est alica & oryza. Ex oleribus intybus, cichoriũ, portulaca, & similia. Cibis rhu obsoniorũ, aut succus immaturarũ vuarum admisceatur. Si vires plurimùm prosternantur, carnium expresso, cui succus cotoneorũ admixtus sit, alẽdus æger erit. vina bibat astringentia. Cæterùm si plenitudo corporis affuerit, venæ interioris in cubito dextræ manus sectio ꝓderit. Sin minus, auersioni per cucurbitulas hypochondriis & iecori affixas studendum. In quem vsum manibus & brachiis

Curatio.

etiã vincula iniicere, & frictiones aperas adhibere cõuenit. Prætereà intra corpus assumēda sunt ea quæ adstringũt, vt sunt syrupi rosaceus, myrthinus, cotoneorũ, coralli rubei, bolus armenia, pastilli de succino, de ebore (quos de spodio hodie nominãt) de terra lẽnia, & alia quæ in capite de cruẽto sputo cõmemorata sunt. Extrinsecùs ea etiã apponēda, quæ sanguinem promanãtem sistere possunt. Ex quorum sanè numero, Aëtio lib. 14. cap. 5. teste, aloë est, cũ posca applicata. Idem etiã potest squama ferri, aut plumbũ vstum. Vnicè autem confert medicamentum, quod describit li. 5. Ther. meth. Galenus. Id accipit thuris partem vnam, aloës partis vnius semissim. Hæc cum oui candido, donec ad mellis crassitudinē redeant, subiguntur, & mollissimo leporis pilo excepta vasis imponuntur, fascia ex tenui linteo forinsecùs alligata. Prodeunt etiam vnguēta, balnea, insessiones, fomenta, & alia eiusmodi ex medicamētis adstringentibus: quorum multa in cap. de Diarrhœa, Lienteria, Dysenteria & Tenesmo dicta sunt, cõposita. Sacculos tamen in vino rubeo & adstringente priusquam adhibeãtur, bullire, aut saltem eo irrigare cõuenit. Quapropter si qua hic desiderabis medicamēta, ea ex capitib. superiorib⁹, in quib. de sanguinis suppressione agitur, petes. Superuacaneũ enim sæpius iisdem de reb. verba facere.

DE PROCIDENTIA ANI. C. XVI.

Accidit vt interdum propter resolutionem aut imbecillitatem musculorũ obliquorum sedem sursum reuellentiũ, anus procidat, atque adeò à duobus quidem relatis musculis non queat retrahi, sed manib. aut medicamẽtis auxiliatricibus egeat. Quod cũ factum fuerit, cõsiderandum in primis, num anus ab inflammatione liber sit. tum enim statim impulsus, in pristinum locum protrudi ac reponi debet. vt autẽ intrusus ne iterum egrediatur, retineri queat, adstringentia extrinsecùs apponenda sunt. Primùm itaq; oleo rosaceo calente circumlinendus, aut vino adstringẽte detergendus anus: ac deinde in suum locũ repositus, deligãdus erit. Idque faciendũ statim vbi ęger excreuit, ne cõfestim ad egerendum necessitas ipsum vrgeat, atque adeò iterum anus procidat. Linimentum ex acatia & hypocistide cũ vino adhibendũ. Incoquuntur etiã in aqua donec rubescat, galla, ballaustia, glandularum calices, malicorium, bellis minor (primulam veris nominant) rhu obsoniorum, cortices cotoneorum, & similia: & deinde ex huiuscemodi decocto insessus & lotiones parentur. Possunt etiam postquã vino aut decocto adstringẽti sedes abluta fuerit, arida admoueri ac inspergi medicamẽta. In quem vsum confert bolus armeniæ, thus, sanguis draconis, galla acatia, myrrha, hypo

Causa.

Curatio.

cistis, cornu ceruinum vstum, & similia, quæ ex superioribus sunt petēda. Porrò si anus ob inflammationem tumidus imponi nequeat, vbi plenitudo fuerit, vena primū secāda erit, vomitúsque ciendus. Sedi apponenda etiam quę adstringunt & reprimunt: ídque statim inter initia faciēdum. Quòd si verò plenitudo nulla adsit, ęger insessione vtatur ex decocto chamęmeli, maluæ, althæę, seminibus lini, fœnigręci, & similib⁹ parata. aut in aquā calidam conscendat, & ei ad tempus immoretur. Spongia etiam aut lana in decocto prædicto madefacta admoueatur. Anus denique oleo chamęmelino, aut anethino, quousque reponi possit, illinēdus. Postquàm verò recōditus iam est, tum suprà commemoratis medicamentis adstringentibus, vtendum erit.

DE RIMIS ANI. CAP. XVII.

Rimæ sedis, quas Græci Rhagades vocāt, sunt scissuræ quę in musculo anum claudente, quem sphincterem nominant, aut in circulo & extrema ani corona fiūt, similes iis quæ in labiis ob Borçæ flatum asperiorē accidūt. ob acrium humorum defluxum, aut inflammationem, aut condylomatum (quę nihil aliud sunt nisi eminentię seu rugæ quædā, reduplicatis ani corpusculis præter naturā insurgentes) extensionē eueniunt. Si ab acribus humorib. fiunt, ii primum omniū purgandi erunt. Si ob cōdylomata, itidem purgatione

ῥαγάδες. Causæ. Condylomata. Curatio.

inter initia vtēdum. Aluus denique toto curationis tempore mollienda, cibis humectantibus ac pinguibus, ne aridum stercus cōglutinationem remoretur. Ex eorum sanè numero sunt maluæ, spinachiæ, lac amygdalarum dulciū, oua sorbilia, iura pinguia, & iis similia.

Vnguentum. Rhagadib. verò hoc vnguentū adhibendū, quod ℞ olei rosacei, myrthini añ ℥ i. thuris, mastiches, lithargyri, sanguinis draconis añ ℈ i aloës, plumbi vsti, cerussę, balaustiorū, boli armenię añ ℈ s. ceræ albæ quod satis est, fiat vnguētum. Aut tale, quod accipit olei rosacei ℥ i s. gallæ, myrrhæ, terrę lemnię añ ℈ i. radicis symphyti, aluminis scissilis, plumbi vsti añ ℈ s. oui assati vitellum, ceræ quod satis est, fiat vnguentum. Prędictis vnguētis ter die rimas circunungito, lotas priùs decocto rosarum, gallarum & sidiorum: sic vocāt putamina malorum punicorum. Si patiētē partem ardor & inflammatio affligit, vnguento candido caphurato illinenda erit.

DE IMBECILLITATE IOCINORIS. CAP. XVIII.

Causę. Imbecillitas iocinoris ab intemperie ipsa producitur calida, frigida, humida, vel sicca. Calida intēperies, tum eos qui priùs adsunt humores, tū etiam hos qui per venas mesenterii ad ipsum iecur deferūtur, adassat & cōburit. Frigida verò intemperies, pituitosum & crudum humorem, qui iam in ipso conti-

netur,crassum & lentum ęgréque mobilē réd dit:cum verò qui ad ipsum defertur,semico-ctum. Cæterùm sicca intēperies ,ficciores & densiores humores facit. Humida autem te-nuiores & magis aquosos. Calida igitur in- Signa. temperie circa iecur existente, colliquatiōes fiūt,primùm quidem humorum, deinde car nis etiā ipsius iocinoris,& euacuatur per ven trem bilis fœtens ac crassa,abundéque colo-rata.Sitis denique infestat,appetentia deiici-tur,vrina rufa,pulsus celer est. Vbi verò frigi da intemperies affuerit,neque assiduę excre tiones,neque multæ fiunt. Durat verò passio diutius , & per certos aliquot dies profluit ipsis vēter maiori copia. cæterùm egesta nō similem fœtorem habēt iis quæ per calorem sunt colliquata,neque colorem etiam,neque consistentiam,sed speciem præ se ferunt san-guinis putrefacti,& in grumos congelati & si quis diligēter consideret, neque sanguis ni ger est, neq; grumus, sed veluti limus & fex quædam sanguinis crassi, proximè ad atram bilem accedēs. Quin plures & discretu iudi-catúve difficiles colores circa huiusmodi pas sionē in excremētis apparēt. Reliqua etiam omnia priorib.contraria erūt.In ficciore au-tem intemperie , excrementa adhuc ficciora & pauciora videntur, ęgríque magis sitiunt: In humida verò,humidiora & plura erūt ex cremēta,sitísq; minus infestabit.In huiusmo Curatio.

di igitur passionib. primus curationis scopus sit, vt intemperiem ad contrariũ reducamus. Calidam enim intemperiem semper refrigerare oportet, frigidam verò calefacere, similitérque humidam resiccare, & siccã humectare. Cęterùm omnibus iecorariis medicamentis, tum quę per os sumuntur, tum quę forinsecùs imponuntur, aliquid ex adstringentib. ammiscere oportet, quò firmitas ac robur visceris conseruetur. In calida igitur intẽperie quod ad victus rationem attinet, vtendũ erit ptisanę cremore, & aliis cibis mediocriter refrigerantibus, lactucis, intybis, cichorio, sonchis, pane ex aqua. Pullis itẽ gallinarũ, perdicibus, auibus mõtanis, carnib. vitulinis, cũ omphacio aut limonibus decoctis. Ex fructibus vescãtur passulis, limonibus, & amygdalis dulcibus. Vinũ omnino circũciditur, nisi alteram ob causam, nempè ventriculi imbecillitatem, hoc requirant. tum enim tenue & dilutum aliquod exhibendum. Bibãt autem pro vino succum malorum punicorum, & syrupum acidũ, simplicem, oxysaccharámq;, cũ decocto hordei, aut intybi domestici. Arcẽdi autem in summa ab omni cibo & potu melle condito, & admodum calido ac incidente. Per os denique, quod ad medicamentorum rationem attinet, sumant saccharum rosaceum, diarhodôn abbatis, & diatriasantali confectiones. Aut confectionem hanc

Calidæ intemperici.

quę ℞ specierũ diarhodôn abbatis, diatria-
santali añ ʒ i s. seminum intybi domestici v-
triusque, rosarum rubearum añ ℈ ii. santalo-
rum alborum, cassuthæ, floris iunci odorati
añ ℈ i. passularum ʒ i. sacchari ℥ vi. dissoluti
in aquis cassuthæ & endiuiæ, fiat confectio
rotũda. Quin & Philonis antidotus semel tã-
tum exhibita, omnem aliquando calidã ie-
coris intẽperiem mirabiliter sanauit. Extrin
secùs adhibeantur fomenta ex rosaceo, cha-
męmelino, cotoneóque oleis parata. Aut ab-
sinthium, aut palmulę prædictis oleis inco-
quantur, & in iis lana aut spõgia madefacta,
ei loco, vbi iecur sitũ est, imponatur. Potest Vnguen-
etiam huius vnguenti esse vsus, quod ℞ oleo tum.
rum rosacei, cotoneorum, nymphææ añ ℥ i.
santalorum alborum & rubeorum, rosarum
rub. añ ℈ i. ramentorum eboris ℈ i s. seminis
intybi domestici vtriusque añ ℈ i. aceti ʒ i s.
caphuræ gr. ii. ceræ quod satis est, fiat vnguẽ
tum. Epithemata etiam in hoc affectu nõ pa Epithe-
rum conducunt, quę in hunc aut similem mo ma.
dum parabũtur. ℞ succi intybi domestici la
tifolii, lactucę, oxalidis, rosarum, nymphææ
añ ℥ iii. succi semperuiui ℥ i s. aceti ℥ i. rosarũ
rub. santalorum rub. ramentorum eboris añ
ʒ i. specierum diarhodôn abbatis, diatriasan-
tali añ ʒ i s. caphurę ℈ s. misce, fiat epithema. Frigidæ
Adhibeantur autem epithemata ęstate frigi- intempe-
da actu, hyeme verò calida. Vbi autem frigi- riei.

da in iecore intemperies fuerit, calefacientibus, ac robur addentibus vtendũ est. vtantur itaq; cibis concoctu facilibus & calefacientibus. Ex olerib⁹, satureia, hyssopo, fœniculo, oreoselino, abrotano, saluia, & similibus. Cibi cõdiantur aromatis calefacientibus, cinamomo, gariophyllis, & iis similibus. vinum bibãt tenue, fuluum, & odoriferum. Fugiant esum piscium, fructuum frigidorum, ocium,

Decoctũ

& quicquid refrigerare iecur potest. Per os sumant hoc decoctum, quod ℞ radicũ apii, fœniculi, oreoselini añ ℥ i eupatorii (quod agrimoniam hodie vocant) hyssopi, mẽtę, absinthii, cichorii, cassuthę, origani, calaminthæ, asari añ M i. seminũ anisi, fœniculi, dauci, cumini, carei añ ʒ ii. iũci odorati ʒ i s. mastiches ʒ i. florũ chamæmeli, rosarũ rub. añ M i. cinamomi electi ʒ i s. Bulliant omnia in ℔ i s. vini, & aquæ fontanæ ℔ i. donec tertia pars absumpta fuerit, dein colentur, & colaturæ adiiciãtur syrupi de eupatorio ℥ iii. syrupi de absinthio ℥ i. misce, fiat potio. In hũc vsum cõferunt etiã confectiones calefacientes, diacinamomi nimirum, dianisi, conserua saluiæ, acorum conditum, pimpinellæ radices cõditæ, & huiusmodi. Extrinsecùs illinẽda olea calida, nempe nardinũ, chamæmelinum, absinthinũ, & similia. Confert hoc vti

Vnguentum.

vnguento, quod ℞ oleorũ absinthini, nardini añ ℥ i s. succi eupatorii ʒ ii. cinamomi, ga-

riophyllorum, ligni aloës añ ℈ ii. ſpicę, iunci odorati, maſtiches añ ℈ i. ceræ quod ſatis eſt, fiat vnguentũ. Poteſt etiam vſus eſſe eius cerati, quod ℞ farinę fœnigræci, lupinorũ añ ʒ ii. radicis iridis, aſari, añ ʒ i. eupatorii, abſinthii, meliloti, iunci odorati, añ ʒ s. gallię moſchatæ i. ſeminũ aniſi, fœniculi añ ʒ s. maſtiches ∈ ii. myrrhę, thuris añ ℈ i. oleorum maſtichini, nardini, roſacei, anethini ℥ i. ceræ & reſinæ quod ſatis eſt, fiat ceratũ. Et iſtius epithematis, quod ℞ ſe. aniſi, fœniculi, ammeos añ ʒ i s. cinamomi, gariophyllorũ, iunci odorati añ ʒ i. Decoquãtur in ℔ i s. aquæ vſque ad medietatis abſumptionem. Coletur, & colaturæ adiiciatur ſuccorum abſinthii, eupatorii añ ℥ ii. ſpecierum diacinamomi, diagalangæ añ ʒ i. caſſuthæ ℈ ii. aceti ʒ ii. miſce, fiat epithema. In humida autem intemperie victus ratione deſiccante vtendum, carnibus nimirum volucrium aſsis, vino tenui, & ſudores mouentibus, laconico, balneis naturalibus. Parum verò bibendum ac comedendum: piſces quoque in vniuerſum omnes, ac fructus quibus humectandi vis ineſt, deuitãdi. Per os ſumẽdus ſyrupus de abſinthio, dialaccę & diacurcumæ confectiones. Extrinſecùs etiam quæ exiccant citra inſignẽ calorẽ, adhibẽda, de quib⁹ oĩbus infrà in ca. de Anaſarca copioſè dicem⁹. Sicca iecoris intẽperies haud ſecus atque hectica febris curãtur, hoc

Ceratum

Epithema.

Humidæ intemperiei.

Siccæ intẽperiei.

ſolo quòd ſuprà monuimus nõ neglecto, vt ſemper humectãtibus medicamẽtis miſceãtur, quæ robur viſceri addere poſſunt. Et vt rem paucis perſtringamus, in ſicca intẽperie balnea ſufficiũt dulcium aquarum, & humectans victus ratio, de quibus in curatione febris hecticæ copioſiſſimè dicemus. Ex hoc itaq; loco petenda erunt, quæ hic deſiderantur. Cęterùm inter ea quę à proprietate toti⁹ ſubſtantię, efficacia exiſtunt, optimum eſt lupinũ iecur: quod ſanè diligenter tritum, drachmę vnius pondere cum vino dulci aquâ calidâ diluto prębetur. Hoc eñ multiplici experimento cognitum, omnibus iecoris intẽperiebus cõmodum exiſtit: vtpote proprietate totius ſubſtantiæ hanc efficaciã habens, non calefaciendo, aut refrigerando.

DE OBSTRVCTIONE IOCINORIS. CAP. XIX.

Cauſæ. Iocinoris obſtructio à flatibus vaporoſis & craſſis, concoctuq; difficilibus fit. Interdũ autem & à craſsis viſcoſisq; humoribus, in finibus venarum ex ſima iocinoris parte enatarum, per quas ex ventre & inteſtinis alimẽti digeſtio ad iecur contingit. Porrò quum

Signa. vaporoſi & craſsi flatus multitudo coacervatur, quę exitũ nõ habet, atq; adeò obſtructionem efficit, nõ grauitatis circa dextrum hypochondrium ſolùm, ſed & diſtentionis ſenſus oboritur. Obſtructionẽ verò à craſſis vi-

scidísq; humoribus cõsequitur grauitatis cũ dolore sensus, aliquãdo quidẽ obtusę aliquã do verò vehemẽtis: & quãdoq; quidẽ absque febre, quãdoq; cũ febre. Crassa enim & visco sa ac multa, omnino amplius reliquis obstru unt, & maximè quãdo ægri à cibo vehemen tiori motu vtuntur. Si verò acria sint & multa quæ in cibo sumuntur, dolor ex obstructione vehementior fit, quũ obturata corpora simul & tensionem perferant, simúlque pungã tur. Cibi his dandi sunt calidiores, & qui aperiendi obstructiones facultatem habent: nempe porrum ex oxymelite, asparagũ, fœniculum, oreoselinum, cappares, reliquáque obsonia ex condimento aliquo calefaciẽte, quódq; obstructiones auferat, incocta. Vitãda sunt alimenta crassi succi, balnea, & exercitia à cibo. Vino vtatur tenui, ac veteri. Vltra victus rationem attenuantiũ quoq; & obstructionẽ tollẽtium medicamentorũ quàm celerrimus requiritur vsus: obstructio enim inueterata nõ tantũ in iocinore, sed in omni corporis parte putrefactionem operatur, febrémque accendit. Præclarè autem & citra molestiam ab obstructione leuant inter simplicia medicamenta lupi iecur, fumaria, eupatorium, chamæmelinum, acori radix, dracũculi radix, asarũ, anisum, apiũ, absinthiũ, casia, iris, glycyrhiza, rha ponticum verũ, lupini, cappares, ammi, cassutha, oreoselinum,

Victus.

Curatio.

Simplicia obstructionẽ tollentia.

pistacia,amygdalæ amaræ,spica nardi, stœchas,gentiana,plantaginis radix, semẽ & folia sicca,anagallidis fœminę succ⁹,cichoriũ, halicacabũ,intyba vtraque,asparagus, & ruscus. Ex iis varia componi medicaméta possunt,potissimum verò decocta,adiectis oxymelite simplici,scyllitico,syrupo acido composito, de absinthio, hyssopo, calamintha, marrubio,& similib⁹.In hũc vsum exhibẽdi etiam pastilli de eupatorio,de absinthio,de rhabarbaro,& similib.Conferunt etiam confectiones dialaccæ & diacurcumæ.Inter cætera autẽ nõ solùm iucundum, verumetiam vtile est, vt pistacia decẽ aut duodecim per noctem in vino Aruisio(quod corrupta voce malmasinum hodie vocant)macerata,in aurora coctione iam facta sumantur. Extrinsecùs etiã admouẽda epithemata,vnguẽta,emplastra & cerata,quæ in cap.superiore de curatione frigidæ intẽperiei iecoris dicta sunt. Hæc medicamenta sufficient, si malum non inueteratum fuerit. Si enim in vetustatẽ incidat,venæ etiam sectio, & purgatio,si nihil prohibet,adhibẽda erũt. In hunc vsum exhibẽda catapotia de rhabarbaro,de agarico,& similia medicaméta,quæ crassos & lẽtos humores per aluum purgare possunt. Vacuato iã corpore,ea quę suprà cõprehẽsa sunt,propinãda medicamẽta erũt.hoc autem potissimum eclegma,quod ℞ radicis iridis,radicis

Eclegma

chamępityos, seminũ fœniculi, anisi, apii, añ ʒ ii. asari ʒ ii s. cinamomi, zingiberis, carei, chamęmeli añ ʒ i. stœchadis, gentianæ, marrubii añ ʒ ii. cum oxymelite scyllitico quod satis est, fiat eclegma. Hoc mirificè obstructiones, non solũ eas quæ in cauo, verũetiam quæ in gibbo iocinoris hærent, quandoquidem per vrinas vehementer expurget, tollit.

DE INFLAMMATIONE IOCINORIS. CAP. XX.

In iocinore perinde atque in aliis viscceribus, ob easdẽq; causas, fit inflãmatio. Inflãmato aũt iocinore omnib⁹ quidẽ ex ęquo in dextro hypochõdrio dolor & grauitas est qui suprà ad iugulũ vsq;, infrà aũt ad spurias costas peruenit. Tumor quoq; dextri hypochondrii consequitur. Huic dolori accedit febris acuta, tußis exigua & sicca, sitis inexhausta, cibi fastidiũ, difficultas spiritus. Lingua primò rubicũda apparet, posteà nigra: bilem vomũt purã, atq; etiã vitellinã, pòst aũt & ęruginosam. alu⁹ adstringitur, color corporis subuertitur in arquati morbi speciẽ permutatus, singult⁹ quoq; cõsequitur. Accessionis etiã tempore quidã delirio apprehẽduntur, & acrem vrinã excernunt. Quando verò priuatim caua iocinoris inflammationẽ patiuntur, nausea, vomitus, cibi fastidium, & ardor ac sitis intenduntur. Si verò gibba ipsius inflammatio exercet, pręter alia superiùs com-

Causa.
Signa.

memorata, tumor manifest⁹ quoq; in superficie oculis & tactui conspicuus est. Hęc quidem vehementem grandémq; inflammationem testantur. Sin obscura quędam fuerit, iubebimus ęgro magnam edat respirationem. Et si dextrũ hypochondrium dolere asserat, moderata iecoris inflammatio censebitur. Quòd si iuxta situm incũbentium iecori musculorum oblõgus inflammationi tumor appareat prædictorum nullo præsente, illos ipsos inflãmatione laborare agnoscemus. Porrò iecore inflãmato, sanguinis detractionẽ

Curatio.

experiri oportet., si nihil id fieri impediat. Incidenda autẽ in dextro cubito vena interna, ita vt substratam arteriam obseruemus: quę si non appareat, media: si verò neq; ipsa appareat, superior. Copiosus autem, & quantum satis est, si vires ferre queant, educẽdus. Sanguinis missione factâ, post modicum interuallũ, simplici ac leui clysteri aluus eluẽda, maximè si non spõte egerat. Extrinsecùs cucurbitæ cum scarificatione affigendæ. Fomentis etiam vtẽdum ex lanis oleo imbutis, cataplasmatis, ceratis, & epithematis. In quibus adhibendis in summa hoc præcipiendũ est, vt adstringentia emolliẽtibus semper admisceantur. Fomẽtũ itaque fiat ex oleo cotoneorũ, aut mastichino, aut rosaceo, aut myrthino, adiecto vino odorifero. Aut adhibeatur spongia madefacta in decocto absinthii,

Fomẽtũ.

meliloti,rosarum rubearũ,chamæmeli,plan taginis,intybi domestici (quam endiuiã vocant)& similium. Cataplasmata verò,& emplastra ex semine lini & fœnigræci, farina hordeacea, malis cotoneis, meliloti flore, absinthio,& similibus,in hũc modum componẽda sunt. ℞ farinæ hordeaceæ ℥ s.carnis cotoneorum contusæ ʒ iii.absinthii, florum meliloti, iunci odorati añ ʒ ii. seminis lini ʒ i.oleorum rosacei,cotoneorum, chamæmelini absinthini añ ℥ s.aceti ℥ i.misce, fiat emplastrum. Cerata sic confici possunt. ℞ carnis palmularum ʒ iii. myrrhæ in vino veteri adstringente maceratæ, styracis, mastiches añ ʒ ii.florum meliloti,comæ absinthii,chamæmeli añ ʒ i s. croci ʒ s. oleorum cotoneorum,mastichini,rosacei añ ℥ i.ceræ & resinæ quod satis est,fiat ceratum. In hũc vsum etiã epithemata ex decocto herbarum suprà nominatarum,aut succis rosarum,plantaginis, absinthii,chamæmeli,& similibus componi possunt. In quibus omnibus componendis vnicè studendum, vt adstringentia vbi vehe mens adhuc est inflammatio, relaxãtibus & emollientibus præualeant:cõtrà verò remittenti vehementi calore,emollientia adstringẽtibus. Cauendũ prætereà,ne prędicta actu frigida admoueantur, sed priùs modicè cale facta. Porrò in inflãmatione iecoris vbi magni circunstent dolores, etiam medicamẽta

Emplastrum.

Ceratum

Nihil actu frigidum iecori in-

flammatione laboranti adhibendum.

dolorē leuātia in potu sunt exhibenda: ita tamen, vt aſsiduus eorū vſus deuitetur. Simplicibus autē potionibus frequentiùs vtēdum. Senecionis itaq; decoctum tanquā maximè commodū, aut ſuccus glycyrrhizæ cum aqua calida exhibendus. His nō minùs cōfert intyborū ſuccus, adiecto modico melle. Ad hoc enim ꝙ refrigerat, ac firmitatē viſceri addit, etiam ora venarum iecoris expurgat. Cæterùm aluus etiā irritanda eſt, vrticæ vel mercurialis coctorū eſu. In declinatiōe etiā morbi aluus per clyſteres inaniri poſtulat. In quē vſum polypodium & epithymum ex mulſa porriguntur. ídque potiſsimum, ſi in cauo viſceris fuerit inflammatio. Caua enim iecoris per aluum, gibba verò per vrinas expurganda ſunt. Porrò in iecoris inflāmatione, exquiſitiſsimo victu, Galeno lib. 13. Ther. met. monitore, eſt opus. Poſcit autē iecur ipſum cibos, qui obſtructa recludāt. Talia verò omnia ſunt tenui conſiſtentiā, & quæ citra roſionē detergunt: cuiuſmodi eſt ptiſana, mulſa. Alimentū igitur optimum eſt ſic patientibus, cremor ptiſanę, in quo apiū decoctū ſit. Ius etiā pulli gallinacei, in quo oreoſelinum decoctum ſit, dari poteſt. Bibat mulſam, aut decoctū hordei, vel intyborū domeſticorū.

Si inflammatio ad ſup-

Cæterùm ſi inflāmatio, principiū permutationis ad ſuppurationē iam ſuſcepit, tū omnia prædicta augebuntur, dolores nimirū,

febres, deliriũ, anxietas, cibíq; faſtidiũ. Adiuuare igitur permutationẽ ac puris eruptionẽ oportet, vt quàm celerrime fiat, ne maiora inde corpora corrumpantur, per vſum videlicet iſtius cataplaſmatis, quod ℞ radicis althææ ℥ i s. ſeminis fœnigræci, lini añ ii. foliorũ althææ, maluæ añ M ii. caricarum numero vi. Bulliant in aqua donec molleſcãt, dein cõtundantur, & fiat cataplaſma. Neq; verò inconuenienter etiã emplaſtra, quæ puris permutationem iuuare poſſunt, adhibẽtur: quale eſt quod ℞ farinæ hordeaceæ, farinæ fœnigræci añ ʒ iii. radicis althææ ʒ iii. s. radicis liliorum alborũ ʒ i s. ſeminis lini ʒ i. florum chamæmeli, meliloti añ p. i. Bulliant omnia in aqua, donec ad mellis craſsitudinem perueniant. deinde adde olei chamæmelini ℥ i. olei liliacei ℥ i s. & bulliant iterum, fiátque emplaſtrum. Ex prædictis poſſunt fieri cerata adiectis butyro, ladano, reſina, & cera. Quum autem perfecta ſuppuratio fuerit, dolores remittẽt, omnéſque acceſsiones mitiores apparebunt. Cæterùm rupturæ tempore dolor rurſum magis augeſcet: quare etiã tũc rupturam adiuuare oportet, per ſtercoris caprini & columbini, ſeminis vrticæ, ſinapi, aliorúmque ad ſuperficiem attrahentiũ vſum: & per potiones calorificas, vt eſt decoctũ polii, fumariæ, radicis chamædryos, & thlaſpeos. Facta ruptione, aqua mellis, aut ciceris

Puratio- nẽ tẽdat.
Maturantia.
Cataplaſma.
Emplaſtrum.
Abſtergentia.

decoctum, aliáque quibus abstergendi facultas inest, quæ infrà in capite de renum exulceratione commemorabuntur, propinanda. Et si puris transmisio per venas fit, vrinam mouentia admiscenda sunt: Sin per aluum, ea quæ leniter subducunt, serum nimirum caprinum, tamarindi, casiáque fistularis exhibenda. Dein facta abstersione, quæ conglutinare possunt, propinanda.

DE ICTERO. CAP. XXI.

ἴκτερος. Icterus est bilis, modò flauę, modò atrę, per vniuersum corpus effusio. Latinè regiam & arquatam pasionem vocant. Celsus etiam auriginem appellat. Harum omnium appellationum causas alibi explicauimus. Fit interdum iecore nihil patiente bilis effusio ad cutem in morborum iudicationibus. Nonnũquam vbi citra febrem sanguis ab extranea aliqua occasione corrumpitur, ac biliosus efficitur, sicut à venenatarum bestiarum morsibus contingere consueuit. Quin & fieri potest propter inflammationem, aut naturalis temperiei iocinoris aut lienis permutationem. Fit etiam aliquando ob imbecillitatem vesicę bilis susceptricis, quę biliosum humorem, veluti consueuit, in sese ex iocinore non attrahit, & ob id impurum sanguinẽ relinquit. Aliquando autem propter obstructionem, aut debilitatem vasorum, quorum ora ex ea ad iecur deferũtur, biliosum humo

Causæ.

rem non attrahit, atque adeò icteron efficit. Interdum etiã fit propter meatus, qui ad intestina vadit, obstructionẽ. Quare ad icteri causas probè discernendas, excrementorum figura & color necessariò cõsiderantur, quum in aliquibus multum colorata per flauam bilem appareãt, quemadmodum etiam in aliis vrinæ. In quibus enim ratione indicationis bonæ in febrib⁹ biliosus humor ad cutem prorumpit, iis & excrementa & vrinę naturali modo se habere videbuntur. Si autẽ cum febri & biliosis deiectionibus inuadat, & in dextro hypochondrio grauitas adsit, feruens iecoris inflammatio significatur, cuius vi sanguis in bilem mutatus, per vniuersum corpus defertur. Sin feruor citra grauitatem in ipso subflet, ex sola calida iecoris intemperie vitium gignitur. Quibus verò citra febrem vnà cum grauitatis alicuius sensu circa dextrum hypochondriũ alba excrementa deiiciuntur, in his vesicę bilis susceptricis meatuum obstructionem esse factam putandum est. Si verò citra grauitatem talia deiiciantur, vires esse infirmas, aut attractricem quæ ex iecore attrahit, aut eam quæ ad intestina propellit, existimandum. Sin iis etiã vrinæ biliosissimę affatim excernuntur. Porrò in quibus atræ bilis humor vnà cum sanguine ad cutẽ est delatus, hi omnino grauius patiuntur. Consequitur enim ipsos tri-

Signa.

ſtitia præter rationem, & mordacitas eorum quæ circa ventrem ſunt, difficultáſq; ſpirandi: & cibos auerſantur, & nigras vrinas excernunt. Stercora verò chalcanti colorem referunt, & aluus iis magis reſiccatur. Cæterùm eos qui ex pallida bile regium morbum cõtrahunt, nulla mordacitas eorum quæ circà ventrem ſunt cõſequitur, neque etiam in tantum auerſantur cibos. Stercora alba egeruntur: vrinæ autem crocei coloris, turbatæ tamen permanẽt. Cõmuniter autem omnibus ictericis pigrities ad motũ accidit, & ad dulces cibos animum habent alienatum. Pruritus etiam vniuerſi corporis comitatur. Alba oculorum, & partes faciei temporibus propinquę, itémque malæ pallorem oſtendunt. venæ etiã ſub lingua repletæ reperiuntur, & abundantem humorem ſignificant.

Curatio. Si ratiõe iudicationis bonæ accidat.

Icterici igitur, qui ratione bonę iudicationis febribus perfectè ſolutis fiunt, facillimè curãtur, ſi lauacris aquarum dulcium vtantur, ac olei diſcuſſorii perfrictione, omnibúſq; quæ cutem rarefacere poſſunt: qualia ſunt, oleum chamæmelinum, anethinum, irinum, & ſimilia. Victus quoq; rationem vniuerſam in iis humectiorem conſtituere oportet, & vt humorum craſsitudinem attenuare poſsit.

Si ex morſu virulẽtorum.

Qui ex virulẽtorum animalium morſibus ictero corripiuntur, curandi ferè ſunt ſicut ii qui à rabido cane morſi ſunt: de quibus ſuo loco

diximus. His qui ob calidam iecoris intemperiẽ, aut inflammationem arquati fiunt, cu ratio superius cõprehensa, vbi de Iecore agebatur, admouenda erit, eámque integram in hoc caput transferre oportet, ne eadẽ nobis sint sæpius repetenda. At si propter obstructionem vesicę fellis susceptricis fiat icteros, tum duo maxima remedia principatum obtinẽt, sectio venæ, & purgatio. In quibus igitur multitudo sanguinis vnà cũ bile in toto corpore abundat, & quos circa iecur aut lienem grauitas aut distensio infestat, in iis nihil venæ sectione commodiùs fieri potest, si nulla alia re id facere præpediaris. Secãda verò est vena, in dextro cubito interna, iecore patiente: liene autem, in sinistro. sanguísque particulatim & per vices est detrahendus, ne per coaceruatã euacuationẽ vires ægri prosternantur. Neque verò ineptè clyster adhibetur, si à venæ sectione excludimur. A venæ autẽ incisione etiam non incõmodè clyster iniicitur, qui propter stercorum euacuationẽ spirãdi facilitatẽ inducit: intestináq; irritãdo ac mordẽdo, humores ad cutis superficiẽ delatos, ad ipsa retrahit & reuellit. Sit verò talis, aut huic similis. ℞ intybi vtriusq;, marrubii, eupatorii, adianthi, orihani, absinthii, añ M I. seminũ anisi, fœniculi, oreoselini, asparagi, añ ʒ ii s radicũ glycyrhizę, apii, fœniculi añ ℥ i. Bulliãt in aqua sufficiẽti. dein colatu-

Si ob intemperiẽ aut inflãmationẽ iecorie.

Si ab obstructione.

Venæ sectio.

Clyster.

rę ℞ ℥ xiii. casiæ fistularis ℥ i. hierę picræ ℥ s. eclegmatis de succo rosarum ʒ ii. oleorũ ane thini, irini añ ℥ i s. salis ʒ i. fiat clyster. Cęterũ purgationes huic morbo magis proprię & fa miliares sunt, sic tamen vt eduliis & potionibus itémque medicamẽtis humores prius at-

Victus.

tenuentur. Cibis itaq; vtendum concoctu facilibus & extenuantibus volucribus mõta nis, piscibus saxatilibus, olerib⁹ quę vrinam cient, præsertim intybis, asparagis, smyrnio, fœniculo, & similibus. Carnes ferinæ mãsue tis magis sunt aptę. Pro liquamine seu embã mate valet acetũ, in quo aristolochia macera ta sit. A fructibus abstinendum. Bellaria sint amygdalę, sed modicè sumãtur: & cicer, modicè torrefactum. Eius etiam decoctum assiduè potatum, non parum confert. Vinũ con venit albũ & tenue, nõ valde vetustũ. Quod ad medicamenta ipsa attinet, sumẽda sunt q̃ in cap. de obstructione iecoris, & in lib. 1. de Extenuandis pituitosis humoribus cap. 8. dicta sunt. Potissimùm verò apii, adianthi, calaminthes, verbenacæ rectæ, rubiæ radicis, aristolochiæ, serpilli, hypericiq; decoctum.

Purgatio.

Extenuatis iam & præparatis humoribus, pharmacum quod flauã bilem purgat, exhibendum. Sunt autẽ purgationes ictericis dãdæ fortiores: ob ventris enim siccitatẽ imbecilliores, inefficacésq; in ipsis cognoscuntur. Quę autẽ præ aliis cõferunt, est dilutũ Rha-

barbari Li.1.cap.7. descriptũ, ac hierapicra, eclegma de succo rosaceo, de psilio, & diaphœnicôn. Quòd si primo purgãte medicamẽto nihil proficias, rursus ad ea quib⁹ obstructiones tollendi facultas inest, reuertendum, & post triduum rursus violentius purgandum. Si liene patiente malum oriatur, ad caput de Melancholia & obstructione lienis recurrendum. Posteà quæ viscera repurgãt, exhibenda sunt medicamenta. In quẽ vsum radix cyclamini trita potata cõfert. Hæc enim nõ solũ repurgat viscera, verum etiã ad bilem in vniuersa cute excludendã per sudorem aptissima. Quare post eius potionem sudoris exclusionem per velamenta ac cõcalefactionem in lecto iuuare oportet. Dãtur ex ea drachmę duæ, aut tres, ex aqua mulsa. Prę clarè quoque facit corticis raphani succus, vino meraco dulci permixtus, aut vino mulso, ita vt succi ℥ ii vini ℥ i. contemperentur. vermes etiam terreni exiccati, & vino mulso per triduum dati ictерũ per lotium eiicient. Item cassuthæ succus mirificè etiam prodest. Cęterùm medicamenta quæ in potu accipiuntur, omnia, si fieri potest, in balneo exhibeãtur, vbi nimirum ægri in solium calidũ conscenderint. Plurimum quoq; diætæ virium refocillatrici hoc tempore intentum esse oportet per quã facultas excretrix reparetur, & si qua pars læsa sit, corroboretur, ac pręsens coloris

Viscera vtraq; repurgantia.

corruptio repurgetur. Quapropter cõueniũt exercitia, gestationes, inunctiones ac exudationes. In hunc vsum pyriateria cõferunt, in quib. oleum, in quo serpillũ aut rosmarinus herba decocta sit, corpori illinẽdum. Quòd si verò quippiã ex ictero circa faciem & oculos relinquatur, vrinæ autem appareant puræ, aluúsque consueto more egerat, narium infusis vtendum. In quem vsum cyclamini succus, item nigella cum aceto, anagallidis & betæ succus infunditur. Acetum etiam accerrimum naribus attrahat æger in solio desidens, cõtineátque presśis naribus paulisper, & mirificè vacuabitur.

Variatus color oculorum & faciei vt amouendus.

DE AQVA INTER CVTEM. CAP. XXII.

Aquę inter cutem tres species.

Hydropis seu aquę inter cutem tres sunt species. Alia enim Ascites, alia Tympanites, & tertia Anasarca, Hyposarca, Sarcites, & Leucophlegmatia dicitur. Ascites est, quum inter mẽbranam peritonęum appellatam, & intestina plurimus aquosus humor coaceruatur. sic dicta, quod ἀσκὸς, id est vtri modo membrana ipsa repleta esse videatur. Tympanites est, vbi flatus ac spiritus superfluus plurimus in iisdẽ ventris locis congregatur. Anasarca est, vbi per vniuersam corporis molem humor disseminatur, vt instar spongiarum aut papyri vniuersa caro permadefacta appareat. Fit hydrops, ob insignem iecoris

ἀσκίτης.

τυμπανίτις.

ἀνασάρκα.

Causæ.

frigiditatẽ, aut ob alias partes vehemẽter refrigeratas, quę iecur in eundẽ affectũ deducere valẽt. Coafficitur autẽ iecur lieni refrigerato, aluóq; & intestinis, maximè iis quę iuxta ieiunũ intestinum sunt, pulmoníq; & renibus ac septo transuerso. Contingit etiã ex immodica hæmorrhoidũ euacuatione, aut ex fluxu mẽstruorum, aut eorũdẽ retẽtione, aut ab alia quadã magna veteri affectione, duritie nimirum, aut simili. Multi autem & à podagra & coxendicum dolore vexati, aquam inter cutem inciderunt. Frequentissimè autẽ eos qui malo corporis habitu præditi sunt, item ab ictero infestatos, hydrops consequitur, cœliacam item affectionem & dysenteriam. Cõmuniter omnis hydrops spirãdi difficultatem, & tumorem, & grauitatem, & vitiatum colorem inducit, ex virore nimirum albicantibus ægris. Fastidiunt etiam cibum, potum autem largiorem appetunt, maximè qui ex ascite laborant. Etenim humor qui in locis detinetur, salsus est & putrefact⁹. quare febris etiã sequi vt plurimum solet. Aquã inter cutẽ minus fœminæ q̃ viri tẽtãtur. Inter cõmemoratas tres species tympanites omnino periculosa, minus eã ascites, deinde hyposarca. Victus autem omnibus hydropicis cõmunis est, vt vniuersus cib⁹ facilis cõcoctu, & sufficienter coactus, atq; aridus sit. exolutus enim & humidus, aptus est

Signa.

Signa.

Victus.

vt in aquositatem commutetur. Panis itaque optimus clibanites, qui salem, ammi, & fœniculum, anisum, aut cuminum habeat admixtũ. Debet is etiam probè fermentatus esse. sic enim minus adstringit, aut obstruit. Ex auibus conueniunt sicciores, velut perdices, turtures, turdi, merulæ, & similes. Ex terrestrib. capra syluestris, lepus. Ex mãsuetis, pulli gallinacei assi, extremę suum partes. Ex aquaticis, cancri fluuiatiles. Oua etiam assata prosunt. Olerum rarus sit vsus: quæ verò eis exhibentur, acriora sint, & extenuandi calefaciẽdíq; vi prædita: velut est apium, oreoselinũ, daucus, eruca, pulegiũ, brassica, allia cocta, cepæ, porri capitati. A leguminibus verò abstinendum in totum. Pro liquamine vtantur aceto cũ pipere, cinamomo, & similibus. Sales sint ex fœniculo, hyssopo, rosmarino, apióque compositi. In potu tantũ prębẽdum, quantum ad frangẽdam aliquo modo sitim sufficit: incõmodus enim est hydropicis plurimus potus. Vinum autem bibant tenue, & quod vrinam ciet. Dulcia verò vina, & vinũ mulsum vitãda. Acetum autem mirificè illorũ sitim restinguit. Porrò maximam ciborũ partem in cœna accipiant. Plurimos fructus, & secundas mensas vitent. Cõcedendæ tamẽ nuces, amygdalæ, mala punica, pyra cocta, accaricæ: omnia moderatè, neq; omnia quotidie. Lectus non valde mollis sit, præsertim

iis qui anasarca laborãt. Substernãtur autem herbæ resiccantes: velut est pulegiũ, calamintha, origanum, & similia. Mirũ est enim quãtum eiusmodi resiccent per somnum, vt cõstet iam quosdã frumenti aceruis obuolutos & abscõditos à somno surrexisse firmos. Exercitationes etiam, si sol adsit, in sole fiant: capite tamẽ velato: Sin frigus sit, in domib. per subiectũ ignem cõcalefactis, aut iuxta ignẽ. Expedit verò imprimis equitatio, & huc & illuc in cathedra circũferri. Cęterùm pedibus, si per vires laborantis fieri potest, deambulare multũ, & quãdoque currere, quàm gestari satius est. obuoluendi etiã ægri in pellibus sole vstis, aut in arenã calidã defodiẽdi. Post exercitia sudores per lintea asperiora extergantur. optimè quoq; cõducit, si quòtidie ter quatérve frictione vtãtur. Hæc enim meatus conniuentes aperit, humores desiccat, extenuat, atq; disiicit. Valde itaque celeriter & sudores elicit plurimos, & carnẽ cogit. Perfricandi autẽ sunt manibus aridis, aut ex sale in aqua aut oleo calefaciẽte trito. Post hęc cum aqua aluminosa, aut sulphurea, aut salsa lauãdi. Aliquib. enim qui hyposarca correpti fuerunt, & ad huiusmodi balnea adsueuerũt, ea ipsa tum ad deterẽdum morbum, tum ad habitum valentiorem reddendum suffecerunt.

Quantũ autem ad curandi rationem attinet, omnibus hydropicis commune remediũ est Curatio.

ſtatim inter initia humoris abundantis euacuatiō quę vel per venæ ſectionem, vel medicaměta purgãtia, vel vrinam mouentia, quēadmodum in ſequentibus particulatim cuiuſque ſpeciei hydropis curationem tradituri dicemus, fieri poteſt.

DE ANASARCA. CAP. XXIII.

Signa. In anaſarca totius corporis moles, & vniuerſa caro (vt dictum eſt) inſtar ſpōgiæ madida ac laxa apparet, atque adeò totum corpus

Curatio. intumeſcit, ac mortuo ſimile euadit. Curatio à ſanguinis detractione auſpicāda, maximè ſi paſsionis origo ex hæmorrhoidib⁹ aut mēſtruis ſuppreſsis eſt, & virtus atque ætas permiſerint. Hac enim ratione plenitudo quæ infeſtat exhauritur, & languētis natura exonerata alacrior fit, & mali cauſa minuitur, & deinde neceſſariò minore negotio redit ſanitas. Prauis humorib. per venæ ſectionē detractis, ad purgantium medicaminum præſidia deueniendum. Quòd ſi tamē extenuatione ac humorū ad expulſionem præparatione opus ſit, decocta & alia quę ſuprà in capitib. de Iecoris imbecillitate & obſtructione dicta ſunt, exhibeantur. In quem etiam vſum ſyrupi de abſinthio, de intybo (quā endiuiā nominant) de eupatorio, & byzantiis barba

Purgatio. ris dictus, exhibendi. Purgantia verò medicaměta ſimplicia ſint, Rhabarbarum, & agaricus: Compoſita verò, catapotia de rhabar-

baro, de hiera simplici, de agarico, & similia. Cōuenit etiam inter initia hiera picra, quòd hæc obstructiones laxet, & visceribus robur addat. Quapropter cauēdum, ne valida, quęque nullū iecori robur adiiciunt medicamēta exhibeamus. Infestās enim humor sensim & paulatim per purgantia medicamenta vacuandus. Semel enim & confertim euacuantes, mirificè vires deiicimus, iecúrque refrigeramus. Singulis itaque septimanis aluus subducenda, sempérque à mitiorib. ad aliquantulum valentiora transcundum. In hunc igitur vsum cōueniūt eclegmata diaphœnicôn, & indi. Pulcherrima etiā purgatio cōficitur ex radice sambuci in vino decocta. Prodest itidem & ebuli radix: eadē nanque sambuco & ebulo vis est. Porrò reliquo curationis tēpore, quo purgātib. medicamentis abstinet, exhibēda q̄ iecori robur addūt, quorū multa suprà de imbecillitatis eiusdē & obstructionis curatione dicta sunt: & quę vrinā mouere possūt. In quē vsum exhibebim⁹ cōfectiones diarhodôn abbatis, aromatici rosacei, dialaccæ, diacurcumæ, pastillos de eupatorio, rhabarbaro, & absinthio: theriacā itē, & similia. Proderit aūt vnicè hoc medicamēto vti, quod ℞ specierū diacurcumæ, dialaccæ, añ ℈ i. specierū diatriasantali, diarhodō abbatis añ ʒ s. specierū aromatici rosacei ℈ i. rhabarbari selecti ʒ s. seminū ītybi domestici latioris, me-

Robur addentia iecori, & vrinā mouētia.

Tragea.

lonum, fœniculi añ ℈ ii. absinthii, chamęmeli, cassuthę añ ℈ i. nucis myristicæ, iunci odorati, spicæ nardi añ ℈ s. sacchari ℥ i. misce, fiat tragea. Mirificè etiam hoc conferet, quod ℞ seminũ carei, fœniculi, anisi añ ℈ ii. cumini, seminis hyperici añ ℈ i. seminũ ammi, petroselini, dauci, smyrnii (leuisticũ vocant) añ ʒ s. radicum iridis, asari añ ʒ i. absinthii ℈ i. glycyrhizæ ʒ i. sacchari ęquale omnibus pōdus: misce fiat tragea. Animaduertendum autem, ficciora medicamenta magis quàm liquida anasarcis competere. Cæterũ non prætermittendum, quin extrinsecùs ea etiam adhibeãtur medicamēta, quæ humores desiccare possunt: qualía sunt cataplasmata, emplastra, & vnguenta, aliáque medicamēta resiccandi facultate prædita. In quē vsum cataplasma ex farina hordeacea, fabaceáq;, fœnogręco, radice ebuli, baccis lauri, absinthio & origano in vino decoctis confectum, & toti vētris capacitati impositum cōuenit. Item stercus bubulum conuenienter resiccatum, non ineptè cũ posca, aut oxymelite imponitur, infarcta ac superinspersa sulphuris quarta parte. Caseus quoque recens multum coaguli habens, optimè ad omnes tumentes partes impositus facit. Deniq; stercoris colũbini, stercoris caprini, buphthalmi, & chamæmeli, æquales partes tusæ, in acerrimo aceto & melle coctę adhibeãtur. Emplastris etiam vtendũ ex fer-

Extrinsecùs quæ admouēda medicaméta.

Cataplasmata.

Emplastra.

mẽto, caricis, nitro, iride, meliloto, ſaluia, pulegio, cardamomo, ſulphure viuo, baccis lauri, ſtaphyſagria, ſale, ammoniaco, maſtiche, thure, abrotano, ariſtolochia rotunda, fimo columbarum, cum oxymelite cõfectis. Cæterùm omnia impinguantia & reſinoſa cerata vitanda ſunt, veluti quæ inflent, & tumores, eo quòd difflationẽ impediunt, diſtendant. Tamen debent aſſiduè & crura & manus, aliæq; tumefactæ partes in ſole, aut iuxta ignẽ hoc medicamento inungi, quod ℞ vnguẽti agrippæ ℥ i. pinguedinis ſuillæ ℥ i s. farinarũ ſeminis lini, fœnigræci, fabaceæ, hordeaceæ añ ʒ i s. ſeminũ althææ, nigellæ, dauci añ ʒ i. ſulphuris viui ʒ iii. boli armeniæ, ʒ ii. radicis iridis ʒ ii s. aluminis ſciſſi, thuris añ ʒ i s. euphorbii ʒ i. oleorum irini, liliorũ alborũ, chamæmelini añ ℥ i s. cũ cera quod ſatis eſt, fiat vnguẽtum. quo liquefacto, ex eo ſæpe tumores illinendi. Iam dictis addantur ea quæ ſuprà in victus ratione ſunt expoſita. Vnguentum.

DE ASCITE. CAP. XXIIII.

In hac vẽter totúmque abdomẽ intumeſcit, eóque concuſſo talis auditur ſonus, qualem vter aqua nõ omnino plenus reddere ſolet. Reliquæ verò partes corporis, ſuperiores præcipuè, minimè inflãtur. Victus ratio in hac aqua inter cutem ſpecie ſit ex montanis auiculis, & aliis cõcoctu facilibus, & bonum procreãtibus ſuccum, haud ſecùs q̃ in prio- Signa. Victus.

Curatio. re. Curãdi ratio á purgantiũ medicaméto-
rũ vſu auſpicabitur. Quapropter ea medica-
menta quæ in cap. præcedente commemora
ta ſunt, ægrotantibus exhibẽda. Superat autẽ
omnia reliqua, braſsica marina (quã ſoldanã
& ſoldanellum hodie vocant) in potu aſſum
pta. Hęc enim in euacuanda hydropicorum
aqua mirificũ oſtẽdit effectum, adeò vt mul-
ti ſolius eius vſu ſanitati ſint reſtituit. Dantur
ex ea drachmæ duæ, pl⁹ aut minus, iuxta cor
porum diuerſitatem, in vino, aut ſero lactis.
Conferunt etiam catapotia de ſagapeno, &
drachmę duæ aut tres ſucci radicis iridis, ad-
Clyſte-res. iecta ſacchari vncia vna. Clyſteres etiam ad-
hibẽdi acres, niſi vẽter ſua ſponte humeſcat:
tunc enim exiccare ipſum magis conuenit.
Commẽdatur autem eiuſmodi, qui ℞ florũ
daphnoidis (laureolã vocãt) ʒ ii. polypodii,
agarici añ ʒ i s. caſſuthæ ʒ iii. decoquãtur in
vino aut aqua. ℞ colaturæ ℥ xii. benedictę la
xatiuæ ℥ s. eclegmatis indi ʒ ii s. mellis ℥ i. o-
lei rutacei, chamæmelini, irini añ ℥ i. ſalis gẽ
mę ʒ i s. miſce, fiat enæma. In eum etiã vſum
colocynthis, cartamus ſeu cnic⁹, bacci lauri,
ſemen aniſi, ammi, & carei, ruta, radix cucu-
meris ſylueſtris, adiectis aliis decoq poſsũt.
Poſt auxilia prędicta, vẽtri vniuerſo ex præ-
ſcriptis cataplaſmatis & emplaſtris quædam
imponãtur. Adhibeãtur etiam inunctiones,
exercitia, vrinã & ſudores mouẽtia auxilia,

de quibus omnib. suprà copiosè diximus.

DE TYMPANITE CAP. XXV.

In hoc vitio venter inflatur, distéditúrq;, & concussus tympani sonitũ edit, reliquæ verò corporis partes emaciantur. Victus rationem prioribus similem obtinet, tamen cũ magna ex parte è flatib⁹ oriatur, vnicè vitãda sunt omnia flatuosa. Agrotanti autẽ multa exercitia, & sitis ingẽs, strenuò auxiliatur. Curatio autem ipsa à purgantibus medicamentis inchoãda. Clysteres etiam, quibus flatus discutiẽdi facultas inest, infundere oportet, qualis est qui ℞ radicum apii, fœniculi añ ℥ i. seminũ anisi, fœniculi, dauci, smyrnii, oreoselini, cumini añ ʒ ii. carei ʒ iii. rutæ, asari, foliorũ ebuli, meliloti añ M I. Bulliant in aqua sufficienti, quoad tertia pars absumpta fuerit. Colaturæ ℞ ℔ i. hieræ picræ, benedictæ laxatiuæ añ ℥ s. eclegmatis de baccis lauri ʒ iii. oleorũ rutacei, anethini añ ℥ I s. salis ʒ i s. misce, fiat clyster. Danda etiã sic affectis ea quæ vrinam mouent: & iis quæ flatus discutere & digerere possunt, tũ intrinsecùs tũ extrinsecùs vtendũ. Qualia certe multa in cap. de coli dolorib. ad quod recurrẽdũ erit, dicta sunt. Vẽter itaq; indies panico, milio, sale, furfurib. foliis rutę, chamęmeli florib. cinere calido, sacculis insutis, fouendus. Potest etiã hoc adhiberi ceratũ, quod ℞ florũ chamæmeli, meliloti añ ʒ i s. mẽtastri, satureiæ,

Signa.
Victus.
Curatio.
Clyster.
Sacculi.
Ceratũ.

asari añ ℈ i.seminum anisi,fœniculi,rutę,ru mini,dauci añ ʒ i. cardamomi ℈ s. myrrhæ, castorei añ ℈ i.oleorum rutacei ℥ iii.anethini ℥ i s.resinæ & ceræ quod satis est,fiat cera tũ.Cucurbitulæ præterea leues,cũ multa flãma crebrò toti ventri suffixæ, mirificè prosunt.venter etiam aspero linteo tantisper dũ rubor excitetur, perfricandus.Intrinsecùs v-
cõfectio. tendũ confectionibus dianisi,diacumini, & ex baccis lauri: vel ista, quæ ℞ specierũ dianisi,diacumini,añ ℈ i.specierum eclegmatis de baccis lauri ʒ i.specierũ diagalãgæ ʒ s.seminum anisi,carei,dauci,fœniculi añ ℈ s.foliorũ rutæ,se.appii,smyrnii añ ℈ i.sacchari ℥ vi dissoluti in succis fœniculi & apii,fiat cõfectio in morsulis.Quæ hic desiderãtur alia, pete ex cap.de coli doloribus.

DE INTEMPERIE LIENIS. CAP. XXVI.

Quemadmodum reliquæ corporis partes octo intemperierum generibus affliguntur,ita & lien. Verùm frequẽtissime frigidam & humidam sustinet intemperiem.Sin-
Causæ. gularum autem causas nõ est cur referamus. eædem enim sunt, quæ aliarum partium corporis.Petendæ itaq; ex Lib.Galeni de Morborum caus.cap.primo,secũdo & tertio. Si-
Signa intẽperiei nudæ qualitatis. gnum autem certum & cõpendiosum intemperiei in liene,ea quę edũtur ac bibũtur,exhibeãt & quę forinsecùs cuticulæ iuxta sini.

strũ hypochondriũ accedunt. Si enim frigi da intẽperies iuxta ipsum fuerit oborta, om nis cibus & potus qui efficaciter refrigerare potest, facilè & manifestè lienẽ lædit. omnia etiam frigida extrinsecùs admota offendũt, atque adeò frigidam lienis arguũt intemperiem. Eam verò ipsam omnia calida cõsolan tur. Quòd si calida fuerit lienis intẽperies, à nullis quæ in cibo aut potu exhibẽtur, aut etiam extrinsecùs accedũt, dolorem perfert. Etsi quidem caliditas augescat, nõ solum nihil tumori apponitur, sed & contractionem amplius sustinet, prȩsertim si febris adsit. Cȩterùm & cibi & pot⁹ calefaciẽtes, & quæ extrinsecùs corpori calorẽ addũt, calidas etiam intemperies augẽt & exacerbant. Solatio autẽ sunt eis omnia refrigerãtia. Similiter etiã siccæ intẽperiei in liene signa colligere oportet, maximè quũ pro magnitudine propriæ naturæ non eminet. Ea item quȩ extrinsecùs corpori adueniunt, atque intra ipsum deuorantur, si exiccãdi facultate prȩdita sunt, lienem exiccant Porrò vbi humida intemperie lien laborauerit, atq; ea amplius inualuerit, in tãtum eius excrementum facit, vt etiã ven trẽ ac iecur pertingat. Species quoque doloris vnà cum prædictis signis infestantem intemperiẽ demonstrabit. In calida enim & frigida intemperie minus dolent, aut nihil om nino, neq; quicquã etiã in humida: minimũ

Frigidæ.

Calidȩ.

Siccæ.

Humidæ

verò in ſicca. Ex prædictis etiam coniecturã facere licet compoſitarum in liene intemperierum. ferè enim in totum vbi calida intemperies fuerit intenſa ſicca eam cõſequitur, & ad frigidam inueteratam humida cõcomitatur. Quãdoquidem verò & humores in lienem cõfluentes tumores producunt, eorum quoque diligenté conſiderationem facere oportet, qualéſnam ſint tãdem, ex iis quę iam dicẽtur. Bilioſo enim fluore exiſtẽte, vniuerſum corpus calidius apparebit, etiã ſi nõ adſit febris: oculíque & vrinę per bilem colorate. Siccitatem ſemper accuſabit ęger, & de ſiti conquerετur ac bili os infeſtãte. Cibũ faſtidit, & vigiliis infeſtatur, frigidámque deſiderat, vnà cum hoc quòd linguã ſubflauam habet. Si verò atræ bilis ſit fluor, color tum in lingua, tum in reliquo toto corpore apparebit, & appetentia aderit ciborum, mœſtíque ac ſubtriſtes ægri ſunt. At verò vbi pituitoſus humor in lienem deferatur, conſimilis pituitoſis aderit color, ęgríque minime ſitient, & cibũ appetent, niſi ſalſa fuerit pituita: tunc enim cibum faſtidiunt ægri, potúſq; magis ſunt appetentes. Quin vrinę quoq; pituitoſę ſunt, ipſiq; ægri ſecundũ mores pigri ſunt & ſegnes. Quidam verò ex eis qui frigidã affectionẽ habẽt, magnũ & durũ lienẽ acquirũt. Quòd ſi ſanguineus exiſtat in lienẽ cõfluens humor, poſsibile eſt ipſum colorẽ tũ iuxta

Signa intẽperiei cũ fluore ſubſtantiæ.

Bilioſæ.

Atræ bilis.

Pituitoſę

Sanguineæ.

linguã, tum circa cutem permutari. Inter appetentiam autem ciborum & fastidium, medio quodam modo habent ægri, reliquísque magis languent, etiãsi nõ parem visceris tumorem habeãt. venæ verò vniuersi corporis, sanguine plenæ apparent, & vrinę subfuluæ. Hęc signa fusiùs ex Aëtio narrauimus, quòd nimirũ communia sint, & omnibus reliquarum partiũ corporis intemperiebus adaptari queant. In vniuersum quidem lienis intẽperies nudæ qualitatis ferè citra tumorẽ fiunt. Eas itaq; tũ per cibos ac potus, tum per simplicissima medicamenta, ac fomẽtorum irrigationes, quæ intemperiei cõtraria sunt, corrigere oportet. Calidam igitur curabis, sicut iecoris, per cibos ac potus frigidos, inũctiones ex rosaceo & melino, atque per alia quæ cap. 18. huius libri sunt dicta. Frigidã lienis intemperiem haud secùs atq; iecoris, per ea quæ moderata calefaciẽdi vi prędita existũt. In humida lienis intemperie, præter ea quæ ca. paulò antè citato cõmemorata sunt, proderit quinquefolii radix, plãtago sicca, spuma & flos salis, ammoniacũ, succus salicis, & similia, si ex iis affuso sufficiẽti aceto vnguẽtum aut ceratũ cõficiatur, qualia paulò pòst describemus. Cõueniẽtissimæ etiã huic sunt frictiones, quę discutiendi facultatẽ obtinẽt. Siccam lienis intemperiem balneũ dulcium & calidarum aquarum curat: inunctio item

Curatio intemperiei nudę qualitatis.

Calidæ.

Frigidæ.

Humidæ

Siccæ.

Curãtco intempe-riei cum fluore sub$tan-tiæ.

ex oleo dulci. cibi citra refrigerationem hu-mectãtes, velut e$t pti$anę $ucc⁹. Porrò $i in-temperie cum ubtãtiæ fluore lien afficitur, tũ vbi $anguinea fuerit, ex vena cubiti inter-na initri brachii (quam lienarem vocãt) $an guis mittendus erit. Aut, $i ea inueniri haud po$sit, ex ea quæ inter annularem & auricu-larẽ vocatos digitos $ita e$t. Dein adhibẽda

Lienem corrobo-rantia.

intrin$ecùs & extrin$ecùs, quæ lieni robur adiicere po$sũt medicamẽta: qualia $unt cor-tex radicis capparis, $colopendrum, hæmio-nitis, ammoniacũ, $cylla, tamarix, ab$inthiũ, adianthos, iris, calamintha, & $imilia, quę ie coris quoque firmitatem & robur cõ$eruare valẽt. De quibus omnibus copio$ius in cap. de Lienis inflãmatione dicemus. Si reliquo-rum humorum ubtantiæ confluxerint, pri-mũ redundans humor purganti medicamen to vacuandus erit: dein reliquo tempore quę intemperiẽ relictã corrigere, & lienem etiã corroborare po$$unt, adhibenda.

DE LIENIS INFLAMMATIONE. CAP. XXVII.

Cau$a.

Lien vt reliquę corporis partes inflãma-tione corripitur, quoties $anguis pręter natu ram ad eum confluit.

Signa.

Cogno$citur grauita te & tumore initri hypochõdrii, qui ad ta-ctũ nõ cedit, dolore & di$tẽ$ione loci, febre, & ęstu. Irruentis verò humoris copia, ex ma-gnitudine & velocitate generationis ip$i⁹ in-

flãmationis. Victus ratio eorũ qui inflãmatione lienis laborant: simplex sit: eáque quæ facile concoquãtur, in cibo exhibeantur, velut ex alica lota, ptisanę succus, panis madefactus, & eiusmodi. Si verò inflãmatio diutius remoretur, etiam auicularum carnes eis cõcedendæ, & pisces petrosis aquis degẽtes. Bibat ęger decoctum cinamomi, aut vinum aquosum. Curatio ipsa à venæ lienaris, aut eius quæ inter minorem & annularem digitum est, incisione auspicetur, si nihil sit quod eam fieri vetet. venter etiam per clysterem asiduè eluatur, potisimum si venę incidendæ medela relinquatur. Deinde imponantur lieni medicamẽta adstringẽtia, quæ id quod influit, reprimere, & lienis firmitatem cõseruare possunt. Non sunt verò sola adstringentia adhibenda, sed admiscenda erunt ea quæ citra euidentem calorem extenuant, secant, atque relaxãt, ne scilicet crassus in eo succus obturatus vehemẽtius incrassescat, quemadmodũ Galenus lib. 13. Ther. meth. diligenter monuit. Itaque si moderata fuerit inflammatio lienis, vinum vetus ac austerũ tenuiúmque partium oleo dulci permixtum, & lana succida exceptũ imponemus. Si verò maior sit caliditas, rosaceum sit oleum, aut melinũ, & chamæmelinum cum aceto. verbi gratiâ, ℞ olei rosacei, cotoneorum añ ℥ ii. olei chamæmelini ℥ i. aceti optimi ℥ s, misce. Quod

Victus.

Curatio. venæ sectio.

Quæ imponenda lieni.

Fomẽta.

ſi olea prædicta nõ adſint, folia rubi, aut mã la cotonea in oleo decoquantur, & quædam etiam tenuium partium addantur, velut eſt abſinthium & pulegium. Cauendum etiam, ne actu frigida lieni imponamus, ea quę extrinſecùs admouentur medicaméta. Poſt irrigationes ac fométa ad cataplaſmata, in quorum compoſitionem hordeacea farina, & loliacea, caricæ, & lini ſemen aſſumantur. Cæterùm cauendum, ne poſt irrigationes & cataplaſmata locus denudetur: ſed vbi hæc fuerint ſublata, mox emplaſtrum aut ceratum, qualia in cap. de Iecoris inflammatione deſcripſimus, imponatur. Siquidem ſimilia genere medicamenta, ambo viſcera poſtulant: tanto autem valétiora lienis ſint, quãto craſſiore vtitur alimento. Quare ex iis quæ de iocinore diximus, ad lienis curationem exempla tranſſumes: quibus ſemper ferè acetum, & quippiam quod lieni gratum ſit, eiúsq; robur peculiariter tueri poſsit, adiicias. verùm vbi inflammatio in ſcirrhum degenerat, non ſolum extrinſecùs, ſed etiam intrinſecùs valentioribus medicamentis vti conuenit. Intrinſecùs itaq; validiſsimæ potiões (nam eas ſine moleſtia tolerãt) exhibendæ. Ex quarũ numero primas partes ſibi vendicant corticces radicum capparis, hęmionitis, myricæ radix atq; germina in aceto vel oxymelite cocta. item centaurei minoris ſuccus epotus, &

Cataplaſma.

Curatio lienis indurati.

lupinorum amarorũ decoctum, cũ ruta & pipere assumptũ. Anagallidis fœminæ scrupulus cũ posca, aut oxymelite pot⁹, mirificè cõfert. Extrinsecùs fomentum tale adhibeatur, quod ℞ centaurii minoris, hæmionitidis, rutæ añ M I. radicis corticis capparis ℥ i. Decoquãtur in aceto: & postquã decocta fuerint, spongia in decocto irrigata lieni calida imponatur. vel potest esse huius vnguenti vsus, quod ℞ oleorum de capparibus, liliorum liborum, irini añ ℥ i. medullæ ossiũ cruris bubulini ʒ i s. mucositatis radicis althææ, fœnigręci, se. lini añ ʒ i pinguedinis taxi, gallinę, anserinæ añ ʒ ii. corticum radicum capparis, tamaricis, costi, centaurii minoris añ ʒ i. ammoniaci, bdellii, galbani añ ʒ s. gũmi priùs in aceto dissolutis, cum cera quod satis est, fiat vnguentum. Emplastra denique & cerata multum cõferre solent. Componatur itaque tale, vel simile, quòd ℞ oleorum liliacei, irini, de capparibus añ ℥ i. farinæ hordei, fœnigræci, seminis lini añ ʒ i. corticũ radicis capparis, hęmionitidis añ ʒ i s. radicis althęę ʒ s. bdellii, ammoniaci, galbani añ ʒ i s. opopanacis, myrrhæ, thuris añ ʒ s. cum resina terebinthina & cera quod satis est, fiat ceratum. Cæterùm oportet medicum diligẽter ad affectum respicere, & pro eius ratione tum addere, tum adimere aut emollientia, aut attenuantia & discutiẽtia, aut quæ robur addũt.

Fomẽtũ.

vnguentum.

Ceratum

Victus. Victus etiã ratio vbi durities perfecta fuerit, attenuatoria sit. Acrium etiam rerũ comestio per interualla, & potus exiguus conuenit. Vinũ sit non valde vetus, quod aqua permisceatur, in qua ferrum sępe ignitum extinctum sit. Conuenientissimum enim lieni indurato remedium existit, candens ferrum in aqua, aut vino, aut posca subinde extinctũ. Plurimùm etiam fidutię in exercitationibus ponendum, quibus ante cibum vti cõuenit, corpore superuacuis non abundante. Manifestum autem est, quod vociferationes quoque oportunæ, & in tempore assumptæ, eis summè opitulantur. Cucurbitulæ etiam cũ scarificatione affigendæ.

DE LIENIS OBSTRVCTIONE. CAP. XXVIII.

Accidit, interdum non solum propter attractricis facultatis imbecillitatẽ, verumetiam meatus, per quem atræ bilis feculentus humor ex iecore ad lienem deriuatur, obstructionem, vt impurus ac vitiosus humor in totum corpus distribuatur. Quòd vbi contigerit, color corporis vitiatus ad nigredinẽ vergit, & nõnunquã immedicabilia vlcera hoc modo patiẽtes habent. Causæ. Causæ obstructionis lienis ex iis quæ in cap. de Iecoris obstructione dicta sunt, innotescẽt. Signa. Cognoscitur ex grauitate, quę est circa dextrũ hypochondriũ, vitiato corporis totius, præsertim verò

faciei, colore spirit⁹ difficultate, & aliis quæ ex prædictis suprà innotescunt. Curatur is affectus victus ratione extenuatoria, & medicamentis obstructionem tollẽtibus, de quibus abunde dictum est in cap. de iecoris obstructione. vtraque enim viscera similib⁹ genere medicamentis indigent: lien tamẽ tãto fortioribus indiget, quanto crassiore vtitur alimento. Quapropter quatenus ad humorum crassorũ vt vacuationi promptiùs obediant præparationẽ attinet, iisdem certe medicamentis opus erit. hoc dũtaxat obseruato vt sint validiora, & commixta habeant quæ robur visceri addere queãt. Post præparationem vacuandi sunt humores per ea medicamenta, quæ crassos & feculẽtos humores purgare possunt, de quibus iam sæpe dictũ est. Post hæc intrinsecùs adhibenda sunt, quæ suprà de Iecoris affectibus, potissimũ eius obstructione cõmemorata sunt. Forinsecùs autem vnguenta & cerata, quæ in capite præcedenti produximus, admouenda erunt.

Curatio.

Præparã tio humorum.

Purgatio

DE RENIBVS CRVENTAM VRINAM EXCERNENTIBVS. CAP. XXIX.

Renum fit nonnunquam passio, in qua tenue sanguinis serum mingitur. Accidit autem propter renum imbecillitatem, vrinam subinde secernere à sanguine nequeuntium. Aut propter amplitudinem osculorum, ex

Causæ.

vena caua vrinã ad renes excolantium. Quũ enim ampliores ac patẽtiores meat⁹ fuerint, quiddam etiam ex sanguine venæ emittunt, aliáq; item crassa. Sępe renes etiam iuxta circuitus quosdã sanguinẽ excernũt, simili modo vt ex hæmorrhoidibus in sede fieri cõsueuit. Quidam etiam sanguinẽ ex renibus excernunt, propter venæ rupturam in renibus factam. veluti contingit iis qui graue onus leuarunt, aut valde saltarunt, aut ex alto ceciderunt, aut aliud quippiam tale violẽtum, vt est exercitium, aut coitus nimius, pertulerunt. Aliquando autem ob acres ex supernis defluentes humores, erosio venarũ cõtingit.

Signa. Cæterùm si paßio propter renum imbecillitatem contingat, sanguis qui excernitur, serosus admodũ est. Sin ob osculorũ amplitudinem, tunc nihil dolitant. Si certis circuitibus excretio fiat, tum vel plenitudo est totius corporis, aut cõsuetorum exercitiorum neglectus, aut membri cuiusdã abscisio præcesßit. Si propter venæ rupturam tũc, copiosißimè sanguis excernitur. Si verò ab erosione, tum sensim & paulatim excernitur, doloŕq; renes excruciat.

Curatio vrinę cruentæ ab imbecillitate renum, Curabis itaque eam cruentæ vrinæ excretionem, quæ propter renum debilitatem, aut amplitudinem osculorum vrinas ad renes excolãtiũ accidit, quiete, cibis adstringentibus, potione vini nigri, & aliis quæ in cap. de cruẽto sputo compre-

hensa sunt. Ab iis autē potissimum quæ vrinam cient, & à coitu omnino abstinendum. In potu autem, præter ea quæ in cap. iam ci tato dicta sunt, exhibenda symphyti radicis decoctum, & tragacantha in vino nigro macerata. Sistit etiam sanguinis ex renibus eruptiões cornu ceruini vsti drachma vna ex vino. Folia item salicis cū vino, lapidis hæmatidis drachma vna. Mirificè quoque confert polygoni decoctum. Bolus denique Armenia drachmæ pondere sumpta. Syrupus rosaceus. myrthinus, pastilli de succino, de terra lemnia, & de spodio nominati. Ouillum prætereà lac vnicè commendatur, si ieiuno ℥ iiii. quibus drachma vna boli armeniæ commixta sit, exhibeantur. Forinsecùs renibus & lumbis imponantur ea quæ ad sanguinis per sputum reiectionem, & in ca. de Dysenteria, aliísq; sanguinis eruptionib⁹ descripta sunt, & quæcunq; vnà cum eo quod adstringūt & resiccant, etiam robur addere possunt. qualia sunt rubi folia, & quercus, glādes, itémq; myrrhi baccæ, malicoriū & balaustia, & similia. Post hęc habitus corporis cibis, lacte, ac auicularum carnib⁹, suillis etiam macris, reficiendus est, quò vniuersum corpus ad pristinas vires reducatur, & renes corroborati propriū munus obeāt, & seorsum humorē à sanguine secernāt & excolēt. Porrò si renes secundū circuitum sanguinem excernūt, aut si per cir-

aut vasorum eius amplitudine.

Curatio

cuit⁹, aut propter venæ rupturã, aut erosioné accidat.

propter rupturã venæ, aut acres ex supernis defluentes humores: tunc statim vena quę in cubito est, secanda erit. his quidem qui per circuitus sanguinem excernunt, paulò ante circuitum, reliquis verò statim à principio. Cæterùm sanguinis detractioné partiri melius erit, vt paulatim eis reuulsio & auersio fiat. Loci autem circa renes spongiis posca imbutis cooperiãtur, aut lanis succidis cum rosaceo & aceto. Post hæc emplastra, vnguẽta, & cerata locis paulò antè citatis descripta, imponenda. Commodè etiam cucurbita adhibetur, prę sertim si suspicio sit inflammationem adesse in his, qui ob venæ rupturam sanguinem mingunt. conueniunt etiam potiones suprà, & in cap. de Sputo cruento commemoratæ. AEger inter ea etiam à salsis & acribus omnibus arcendus. Vbi verò iam sanguinis excretio cessauerit, victus ratione vtendum est, vnde nõ multus sanguis gignatur, maximè in iis qui per circuitum excreuerunt: & supernæ corporis partes asiduè exercendæ. In iis autem qui ob venam ruptã sanguinem mingunt, si exulceratio in locis relinquatur, ipsam post sanguinis suppresio nem curabimus, per ea quæ in capite de Renum exulceratione dicentur.

DE INFAMMATIONE RENVM. CAP. XXX.

Causæ.

Renes ob plurimas causas inflammatio-

ne corripiuntur. Nam & humores corrupti, & plagæ, & attritiones, & medicamentorum potiones inflammationem procreãt, & præsertim equitationes continuæ & vehemẽtes. Accedit ægris dolor pulsatilis retro iuxta primam dorsi vertebram, paululùm supra spurias costas. Distẽdit autem dolor sursum vsq; ad iecur, præsertim dextro rene affecto. Deorsum verò vsque ad vesicam & pudendum, lumbósque & coxendices, pectinem item & fœmora. Consequitur etiam stupor propinqui cruris, & neque rectà erigi possunt, neq; pedibus ingredi. Et siue sternutatio, siue aliqua alia concusio irruat, vehementi dolore lancinantur. Frigent eorum extrema, & magis suræ ac pedes. Adest vrinæ emittendæ difficultas, mingúntque asiduè ac laboriosè: in principio quidem tenuia & aquosa, in quib⁹ nihil subsidet: inflammatione verò in peius proficiente, rubicundiora: deinde etiam crassa & mucosa: adsúntque febres vehementes. Quòd si adhuc ampliùs inflammatio augescat, hæc omnia fiunt vehementiora. His accedit nausea, & stomachi morsus, & vomitus bilis. Quidam autem ipsorum vsq; ad animi deliquium angũtur & exudant. Sistitur ipsis venter adeò vt inflentur, & asiduè ructus emittant. Sequitur fastidium vehemẽs: & quibusdam continuè fiunt exacerbationes: quibusdam verò per interualla. In vniuersum au Signa.

tem ventris egestio, & vrinæ multa excretio dolores ipsos præcedunt. AEgrum in mollissimo lecto decumbere oportet, ac primo die cibo abstinere, non tamen in multos dies inediam extendere. Vrinæ enim acriores per inediam redditæ, vehementissimos morsus infligunt. Itaque in principio sorbitionibus tenuibus morsus le[illegible]tibus nutrire oportet, vt est ptisanę succus, aut hordei alica. Malua etiam inter holera summè confert. Potus sit decoctũ cinamomi. Et in summa victus ratio sit talis, qualis in aliis inflãmationibus.

Victus.

Curatio.

Inter initia, quod ad curandi rationẽ attinet, sanguis statim detrahendus est. Secanda aũt vena quæ in poplite est, secundum rectitudinem renis patientis. Post venæ sectionem ad ea quæ extrinsecùs admouẽtur procedendũ, cataplasmata nimirum, fomenta, linimenta, emplastra, & similia quæ mediocrem refrigerandi ac leniendi vim obtinẽt, ex oleis rosaceo, cotoneorũ, chamęmelino: farinis hordeacea, fabacea, fœnigræci, & similibus quæ in capitibus de inflammationibus iecoris & lienis dicta sunt, composita. Cauendũ hoc tẽpore, ne ea medicamenta quę vrinam ciẽt, bibẽda dentur, Galeno sic monẽte lib. 13. The. meth. oblędũt enim, mordaces humores inflãmatis partibus inducendo. Clysteribus autẽ mollib⁹, potissimũ si vẽter nihil deiecerit, vtendũ: ex maluę decocto, aut seminis li-

Vrinam prouocãtia nõ exhibenda.

Clysteres.

ni & fœnigręci, aut ſucco ptiſanæ confectis, cum oleo violaceo, aut chamæmelino. Cęterùm copia non multa infundatur, ne repleta inteſtina comprimant renes. Quòd ſi dolor per ea quę extrinſecùs imponũtur, non leuabitur, cucurbita lumbis ac iliis eſt adhibẽda, & fiſſuris impactis plurimꝰ ſanguis eſt attrahẽdus. deinde iterum ſpongiarum fotu vtendum, & aliis quæ dolorem leuare poſſunt. Vbi perfectè iam ſedata ac cõſumpta fuerit inflãmatio (id quod cognoſcitur doloris omnimoda remiſsiõe) tũc etiã per vrinã prouocantia purgandũ erit. à cõcoctis enim inflammationibus vrinæ prodeunt multæ & craſſę, & in iis bonum eſt quod ſubſidet, atq; adeò morbum prorſus indicant. Porrò ſi per prædicta medicamenta affectus non propellatur, & neq; dolor, neq; febris, neq; grauitas horũ vſu conquïeuerint, vrinęque difficultas ac frequẽs ſtillicidium ægrum moleſtauerit, pus hac in parte colligi indiciũ eſt. Tũc itaq; quàm celerrimè ſuppurationem, ac puris eruptionẽ adiuuare oportet. Qua in re ſpongiæ aquâ & oleo aſsiduè imbutæ proderũt, fotus gratiâ admotę. Eundẽ etiã vſum cataplaſmata prębẽt, quæ ex farina hordeacea, furfuribus, ficubus, althęa, & ſimilibꝰ ſuprà in ca. de iecoris inflãmatiõe dicta ſunt, cõſtãt. In ſoliũ quoq; ex emolliẽtibus herbis, malua, althęa, chamæmelo, lini ſemine, fœnogræco, para-

Suppurationis ſigna.

tum descendere summe confert. Quòd si verò perfecta iam suppuratione (id quod cognoscitur, si febres & dolores minores fuerint, grauitatis autem sensus circa renem affectum remãserit) ruptura moretur, in potu exhibenda quę vrinam ducunt: vt est fœniculi, pulegii, origani, & similium decoctum. Hęc enim rumpunt interdum suppurationem, & pus per vrinam expurgant. Quòd si autem vsus illorum nihil contulerit, acrioribus clysteribus aluus subluenda erit, velut est alliorũ, raphani syluestris, ac radicis cucumeris syluestris decoctum. Oportet verò admiscere oleum, quo infusa lubrica reddantur. Hęc itaque per clysterem infundenda, iubendiq; ægri, quò plurimo tẽpore apud se detineant. Consueuerunt enim sæpe ipsam suppurationem rumpere, vnà cum hoc quòd ventrẽ emollire solent. Rupturâ verò factâ, caruncu-

Rupturę factæ indicia.

læ paruæ, oblongæ, cum vrina excernuntur. Et siquidẽ vlcera fuerint maligna, humores fœtidi, liuidi, & mucosi: si verò benigna, pus ipsum album, & æquale, & leue, absq; odore graui, excernitur. Quæ verò deinceps sint adhibenda medicamenta, in capite de Renũ vlceribus dicemus.

DE CALCVLO RENVM. C. XXXI.

Causæ.

Renũ calculis prouectæ ætatis homines frequẽtiùs quàm pueri apprehẽdũtur. Causæ autẽ generationis horũ calculorũ existũt,

assiduæ cruditates, vnde humoris crassi & terrei multitudo cõgregatur, & ardor igneâ ve circa renes caliditas, q̃ humores adassans, eos cogit & in lapidem indurat, ad modum toforum qui in aquis reperiuntur, quæ in æreis præsertim balneorum vasis coquuntur.

Accedit ægris grauis in renibus dolor, acu lei infixi sensum præbens: tumor tamẽ nusquam foris apparente. spina ægrè flecti potest: crus quod è directo est renis affecti, stupet: adest fastidium, & vomitus. Vrina circa obturationis principium pauca, aquosa mingitur. Postea verò perfecta eius suppressio cõtingit, aluúsq; nihil excernit: verùm cupiditates multas ad egerendum facit. Excernitur autem aliquando sanguis, propter violentiam calculorum. Vrina etiam arenosam subsidentiam habet, potissimum vbi lapis ex renibus fuerit emotus. Quas singulas ferè notas Hippocrates etiã iis verbis cõplexus est: In renem dolor grauis, quando cibo replentur, inuadit, pituitámq; vomũt. Quum verò dolores intentiores fuerint, æruginosa, atque tum leuiores quidem fiunt. Dolore autem leuãtur, quando cibo vacui fuerint. Arenæ rufæ subsidẽt, cruentáq; mingunt. Stupor cruris, quod è directo est. Hæc ille. Porrò leues & rotundi facilè excernuntur: non item, qui alia quacũq; forma præditi sunt: maximè tamen oblõgi & asperi difficulter excernũtur.

Signa.

6. Epid. Par. 1. Aph. 5.

Curatio. Cæterùm quum lapis in renibus obturatus vehemẽtissimos dolores intulerit, ne scilicet sanguinis multitudo ad tẽsione & dolore affectam particulam procũbat, in corpore ple-
Venæ sectio. nitudine laborante & robusto, confestim poplitis vena, iuxta Hippocratis loco iam citato consilium, incidenda erit, eius nimirũ cruris quod stupet, & è directo renis patiẽtis est.
Purgatio. Qui verò vitioso humore seu cacochymia laborãt, iis purgatio redundantis humoris cõuenit. neq; omittẽda hęc est, nisi aliud quippiam id fieri prohibeat. Id quod etiã Hippocrates iussit, dũ iuuenes elleboro esse purgãdos ait. Verùm si venæ sectionem, aut purgationẽ adhibere minimè licebit, aluũ per clysteris infusionem eluere oportet. Quod tũ potissimum faciendũ erit, vbi multa in intẽstinis excrementorũ copia fuerit. Cauẽdum tamẽ vnicè erit, ne sint validiores, atq; adeò ne aliunde humorũ copiam ad intestina trahant, ne meatus vrinarii angantur & comprimãtur: sed sint tales, quæ dũtaxat excrementa in intestinis detenta vacuare possint. vt est
Clyster. huiusmodi, qui ℞ maluæ, althææ, mercurialis, trichomanes (polytrichũ nominant) helxines, hoc est parietarię añ M I. sisymbrii, cardamines, id est nasturtii aquatici M I s. seminum oreoselini, apii, fœniculi, lini añ ℥ iii. radicis acori veri ℥ i s. furfuris ℥ i. Bulliãt in aqua iustæ quantitatis, & colentur. Colaturę ℥

xi.casię fistularis ℥ i.hierę picrę ℥ s.mellis rosacei colati ℥ i s. oleorum anethini, rutacei, chamęmelini añ ℥ i.salis ʒ ii.misce, fiat enęma.Neq; clysteribus asiduè, aliis ferè omnibus neglectis remediis (vt facere pleriq; hodie solent) vtendum, sed bis aut ter: sic tamen ne vltra consuetum tempus retineantur. Retenti enim compressionem atq; angustiã renum, & meatuum vrinariorum efficiunt, vt copiosè lib 2. Paradox. cap. 15. diximus. Excrementis alui expurgatis, quę laxare meatus possunt medicamenta adhibenda erũt. In quem vsum hoc vnguẽto renes & lumbi inungendi, quod ℞ oleorũ anethini, amygdalarum dulcium añ ʒ ii. olei chamęmelini ʒ i s. adipis gallinacei, anserini añ ℈ ii butyri salis experti ʒ i. cerę quod satis est, fiat vnguentum molle. Insessionibus item vtendũ ex decocto calaminthes, origani, parietarię, sisymbrii, cardamines, brassicę, foliorũ althęę, maluę, & similium. Aut ęger in soliũ tepidũ frequenter demittẽdus. Fomenta etiã locis admota cõmodant ex furfuribus, cum foliis althęę decoctis. Itẽ cataplasmata ex farina tritici, seminibus lini & fœnigręci, lupinorum, peucedani radice quàm tenuissimè trita, & chamęmelo. oportet aũt coaceruatim alia super alia cataplasmata adferre, priusquã primũ frigescat. Aut si nõ libeat, calefactorio alio extrà cõtegere ne refrigerẽtur. Id quod cõ

Laxantia

Vnguẽtũ

modè fieri poteſt per ſacellos, aut alia vaporaria cataplaſmati impoſita. Hæc interdũ ad lapidis per vrinę eiectionem ſufficiũt. Quòd ſi verò non contulerint, ea etiam quę vrinam cient, bibẽda dabis. Vrinam autem multam hęc ducunt, acorũ, hypericum, oreoſelinum, ſemẽ lithoſpermi, hoc eſt, milii ſolis, ammii, dauci & fœniculi, aſarum, radix bryonię, rubię tinctorum, cortex capparis, aſparagus, & ſimilia. Deducunt autem ad renes, ea quæ calculos confringũt, peucedini radix, apium & radicula. Lapides autẽ in ipſis renibus cõfringunt & atterunt, ſion, adianthum, bdellium, viticis ſeu agni ſemẽ, ruſci radix, ſaxifraga, betonica, ciceris iuſculum, lithoſpermon, tecolithos (qui lapis Iudaicus dicitur) xanthium, althęę ſemen & radix, & eiuſmodi. Horum ſingula partim decocta, partim tenuiſsimè trita, præbeto bibenda. Porrò ea quę vrinam cient, ac lapidem frangunt, tunc exhibere conuenit, quum vehementes dolores remittunt: id quod accidit, lapidę iã trãſmoto, & ex ſede ſua agitato. Quòd ſi obfirmati ac vehementer impacti ſint lapides, plurimus potus vitãdus, itemque ea quę vrinam ducunt. cum enim ſecum excrementorũ copiam ad renes deducãt, meatus etiam vrinarios plus obſtruunt, atque calculi ex renibus tranſitum impediunt. Fomentis autem ac cataplaſmatis, & inſeſsionibus membra

Vrinam mouentia.

Deducentia ad renes.

vt diximus) relaxãda, & venter per leuia infusa ac insessus euacuandus, ne vrinarii meatus comprimãtur. Post hęc autem doloribus aliquantulũ lenitis, etiam cucurbitulæ vtiliter ipsis adhibẽtur, & præsertim pressiùs affixæ, inflammatione videlicet id non impediente. Adeo enim coaceruatim trãsmouent sæpè cucurbitæ ipsos lapides, vt repẽtè dolores supprimant, lapide nimirũ in vesicæ amplitudinẽ transuecto. Quapropter in principio supernè à rene cucurbitæ sunt affigendę, & ad inguina attrahendæ obliquè secũdum meatuum vrinariorum situm. Cæterũ delati ex renibus in vesicam lapides, & præ magnitudine circa collum vesicæ detẽti, sæpe in extremum periculum ægrum deducunt, tum propter dolorum acumẽ, tum quod vrinam excernere non permittunt. Decubitus igitur formam in talibus moliri oportet, ita vt supini situentur, & longè altiores coxarum vertebras habeant. Deinde multiformiter eos cõmouere, quò omnibus machinamentis adhibitis, lapidem ex ipso vesicæ meatu excidere faciamus. Quòd si hac ratione nihil profecerimus, catheter instrumentũ proliciendę vrinæ aptum immittẽdum, eóque lapis à collo vesicæ amouẽdus, & vrina educenda. Si verò ex vesica quidem excidat calculus, iuxta medium autem meatum ipsius pudẽdi obfirmetur, & vulnerando exulcerationis periculum

Cucurbitæ.

inducat, aqua calida paulatim ab alto pudẽdorũ partibus donec rubore suffundãtur, instillanda aut pudendum in oleum calidum, quod relaxandi vim obtinet, demittendum. decoctum etiam quoddã ex iis quæ vrinam ducunt, plurimum exhibendũ est, iubendúsque æger vt multam vrinam cõgreget, eámque postea emingat, ac diligentius expellat: ita enim detractus lapis, celeriter excidere cõsueuit. Quum verò neq; hoc modo eum extrahere possemus, secandum erit pudẽdum, vulnusculo supernè iuxta glandis magnitudinem incusso. Infernè enim secare nõ expedit: quãdoquidem ferè semper in fistulã proficit, ac posteà per ipsam fissurã vrina excernitur. Lapide amoto præseruare hominem oportet, ne rursus renes lapide infestẽtur. Tuo tur autẽ à calculis ne fiant, cibus boni succi, cõcoctu facilis, & moderatus: dein exercitia mediocria, rarúsq; leguminum omnis generis, frumentaceorúmque vsus, itẽ casei, lactis, & quæ ex ipso præparãtur obsoniorum, vini nigri, copiæ carnium, & omnium summatim crassi succi, ac nimis calidorum & acriũ. Aegros etiam admonere oportet, vt à cœna sępe vomant, & absinthium assiduè bibant, & per tempus certum venam secẽt, si quidem sanguis abundare videatur: aut conuenienti temperaturæ ipsorum purganti medicamẽto vtãur, si vitiosi humores coaceruẽtur. Opor

Præseruatio à lapide.

tet etiam ipsam aquam per omnẽ victum purissimam esse,& percolatã. Vinũ item tenue, album, vrinámque ciens, neque valde vetus. vtantur quoque per interualla medicamẽtis vrinam mouentibus, hôc potissimum, quod multę est efficacię. ℞ radicum fœniculi, asparagi, œnanthes, id est filipendulæ añ ℥ i. radicis rubiæ tinctorũ ℈ i. radicis aristolochiæ rotũdæ vocatæ, althææ añ ℥ i. liquiritiæ rasæ ℥ ii. lapidũ ex spongiis marinis, tecolithi seu iudaici añ ℈ i seminum ammii, dauci, oreoselini, saxifragæ albæ, fœniculi, anisi, lithospermi añ ℥ s seminum melonũ, citrulli, excorticatorum añ ℥ i s. seminis halicacabi, hoc est alchechengi ℥ s. helxines seu parietariæ, maluæ añ ℥ i. polii mõtani, adiãchii, pulegii, asari añ ℥ s. sanguinis hircini arefacti & præparati ℥ i. bdellii, ammoniaci añ ℥ s. lapidum seu oculorum cancri, cinamomi selecti, iunci odorati (squinanthũ nominãt) añ ℈ ii. singula redacta in puluerẽ minutissimũ, misceãtur. Detur de hoc drachma vna quarto quoq; die, aut singulis hebdomadis matutino tẽpore in vino tenui. Alia remedia pete ex cap. de vesicæ calculo.

Puluis ad calculosos renes.

DE RENVM VLCERIBVS. CAP. XXXII.

Vlcera renum accidunt propter venarum quæ in iis sunt, rupturam. Item suppurationem inflãmationis, & acres ac mordaces hu

Causę.

Signa. mores huc delatos. Deprehenduntur renes exulcerati dolore in lũbis cum grauitate, & sine impedimẽto vrina redditur, id quod in vesicæ vlceribus non fit. vrinæ pus mixtũ reperitur, carnosis particulis, aut pilis innatãtibus, iuxta Hippocraticam sententiã, quæ sic

4. Aph. 75. habet: Si sanguinem, aut pus mingant, aut renũ aut vesicæ exulceratione significat. Et statim posthæc. Quibus in vrina crassa existẽte carũculę paruæ, aut veluti capilli vnà exeũt, his à renibus excernuntur. Vitet æger cruditates, & suprà quàm cõuenit satietatem. Ne

Victus. quid crudũ in cibo accipiat, & neque quod ægrè cõcoquitur, aut facilè corrumpitur, aut inflationes parit. Maximè tamẽ vitet quæ facile acescunt. Itẽ omnia acria & feruentia, & quæcunque bilem gignere possunt, vt est longa sitis, inedia, & immodica condimenta. vitanda etiam omnis delassatio & immodica equitatio, maximè verò quæ fit in equo, vigiliásque & omnem vehementẽ concitationẽ, & è conuerso perpetuum otium, & balneorũ assiduitatẽ. Vtatur pane recenti decenter apparato. Carnibus volucrium montanarũ, hœdis, & similibus carnem teneram habentibus Piscibus saxatilib⁹, squamosis, in craticula assis. Cãcer fluuialis mirificè, sorbitio ex ptisana, amylum cum lactæ coctum confert. Dandum & lac ouis permixtum, & insculum gallinæ pingue. oua etiam sorbilia per se conue

niunt. Ex olerib. auté malua, intyba, rumex, portulaca, lactuca: omnia tamē cocta, neque quicquam crudū (vt diximus) voret æger. Ex fructibus vua passa non incōmoda est, & nuces pineæ, & amygdalæ, decorticatę tamé & probè mundatæ. Multus potus, & meracior vitandus. à frigidæ etiā potu in totum abstinēdum. Frigidum enim, vt ait Hippocrates, vlceribus inimicum. Pro potu vtatur vino diluto, ac parum adstringēte: aut lac caprinum aut ouillum, aut amygdalinum bibat. Coit⁹ nō solū vlceribus, verum etiam omnib. aliis renum pasionibus infensissimus est, & maximè senib. & naturâ imbecillioribus. Vrinam cientia vitet. Balnei sit rarus vsus. Naturales verò aquas experiri non inutile fuerit, aluminosas videlicet, sulphurulentas, & cōsimiles. Frigida lauare cōmodissimum est: supra modū enim vlcerationes ęgrè sanabiles, tum externas tū internas destruit. Cōferēt etiā naturales aquę, post matutinā deambulationē potatę. Curādi ratio, si ob acres humores accidant renum vlcera, ab humorum vitiosorū ac erodentiū purgatione auspicetur. Qui autem sic afficiuntur, eos vomitu etiam vacuare oportet. Non solū verò ad vitiosos humores vacuādos cōfert vomitus, verumetiam siquis omni mense audacter vomuerit, is renum vlc⁹, & quicquid inde mali accidere potest, dissoluet, quòd humorum motum planè in cō-

5. Aph. 20.

Curātio. vomitus.

trarium auertat. Sunt etiam interea deuoranda quę morsus obtundunt, vt malua, intybũ, rumex, portulaca, semina melonũ, cucumeris, cucurbitę: syrupi, violaceꝰ, rosaceꝰ, nymphææ, & eorundem cõseruæ hodie nominatæ. vacuatis humoribus, aqua mulsa bibẽda, aut fœnigræci decoctũ cum melle: aut cucumeris, aut maluæ, aut melonũ semen cum hydromelite. lac etiã cum melle præbẽdum, recèns mulctum & calidũ. ad vlcera enim purganda cõducit. Serum item caprinum, decoctum hordei & vuarum passarũ, & glycyrhizæ, quæ mirificè cõfert, perinde atq; eius succus. Quum verò munda fuerint vlcera (quod inde tibi palàm fiet, si neque tectoriũ etiam vlceri obductũ cum vrinis excretũ appareat, neque etiam pus excretum sit feculẽtum, sed subalbum, & leue, & æquale, & paucum) tũc ea quæ resiccant, adstringunt, & glutinãtia medicamenta erunt adhibẽda. In quem sanè vsum datur bolus armenia, gummi arabicũ, tragacantha, amylũ, terra Lemnia, & similia. Præter cætera autem is puluis mirificè cõducit, qui ℞ terræ Lemniæ, boli armeniæ añ ℥ i s. tragacanthę, spodii, hoc est eboris vsti añ ℥ i. amyli, nucum pinearũ tostarũ añ ℥ s. seminum lini, cucumeris repurgati, melonũ, singulorum ℥ ii. seminis apii ℈ ii. sanguinis draconis ℥ i. conterantur singula, & redigãtur in puluerem tenuissimũ, de quo dẽtur quotidie

Glutinãtia.

puluis.

ieiuno ægrotanti ʒ ii. cũ lacte recens mulcto. Extrinsecùs etiã quæ renes exiccare ac roborare possunt admoueantur emplastra, cerata & vnguenta ex oleis, rosaceo, myrthino, farina hordei, thure, mastiche, rosis rubeis, & similibus composita, quorum copiam in præcedentibus quibusdam capitibus habes. Plura etiam ad institutum facientia dicemus in cap. de vesicæ vlceribus.

DE DIABETE. CAP. XXXIII.

Diabetes diuturna est paßiò circa renes consistens, multum potum inducẽs, vnà cum hoc quòd quicquid bibitur, simul vt & quale assumptum est, per vrinã redditur. Quidam verò hanc paßionem aquã inter cutẽ ad matulam, Galeno cap. vltimo libri de Symptomatum differẽtia teste, & vrinæ fluorem seu leuitatem, atque ab inexplebili siti dipsacon vocant. Origo ipsius ex retentricis renũ facultatis imbecillitate cõtrahitur: attractricis verò tanto robore, vt totũ corpus ob immodicum calorem exhauriat. Renũ itaq; propria paßio diabetes existit, qua videlicet immodicè humorẽ appetũt, ipsúmque propter debilitatẽ retentricis in eis facultatis continere nõ possunt, sed eum aceruatim in vesicam excernũt. Cõcomitatur ęgros pertinax sitis, neque vlla satietas ex alicuius liquoris exhibitione contingit: adeóque aßiduè potũ assumere cogũtur, propterea quòd citißimè per

Diabetes quid.

Causa.

Signa.

yrinam expellatur potatum. viſcera ipſis vri vidētur, vniuerſum habitum fracilē habent, & tabes totius corporis accedit. Scopus cura tionis in eo cōſiſtit, vt humorum acredinem deleamus, ſanguinémque ac cum eo permix tum ſeroſum humorē ad motum tardiorem reddamus, & renum intemperiē corrigamus. Mox itaque vbi cœperit malum, nōdum ad perfectionē progreſſum, optimum eſt cubiti venam ſecare, & moderatè ſanguinem auf.r re. Vtendum etiam mediocriter vrinam cien tibus, quę vitiatum in renes imbibitū humorem repurgare poſſunt. Quòd ſi verò inuete ratum ſit malum, neque venæ ſectio aſſumatur, neq; quicquam quod vrinā cit, exhibeatur. Hæc enim corporis tabē & colliquationem, quæ ſponte ſua in hoc malo fit, accelerant. Concidunt enim in inueteratis vires, & & ex venæ ſectione totū corpus acrius redditur, & vrinam cientia in ipſis multiplicāt malum. Maximum autē remedium huic paſsioni, vt ſtatim potatū reuomatur. Sit autē perquàm frigidus ipſe potus: reliquáq; victus ratione cōuenit vti frigidiore. Cibi itaq; exhibeantur boni ſucci, quíq; difficulter cōmutari poſſint, & mordacitate careāt, & qui mordacitatem obtundere valeant, vt ſunt oua ſorbilia, halica ad ſorbitionis formam apparata, carnes porcinæ macræ coctæ. Neque verò incommodè exhibetur eis caſeus recēs com-

Curatio.

Victus.

pactus, salis expers, & lac per silices aut ferrũ ignitum scissum, seroso humore adẽpto. Pro sorbitione etiã ptisanæ succus frigidus probatur. Ex oleribus autem intybum, lactuca, portulaca. Ex fructibus pyra, poma, mala punica. Inter pisces, saxatiles conueniunt. Bibat vinum rufum, crassum, aquâ amplius dilutũ, ad salsuginosorum humorũ prolutionẽ, qui sitim inducunt. vinum enim corporis temperaturam ad dulcorem permutat. Conuenit etiam in potu exhibere succum malorũ granatorũ, rob de ribes, aut oxyacantha, & similia. Quod ad medicamenta ipsa attinet, polygoni seu sanguinariæ succus rectè ipsis ex vino nigro propinatur. Symphytũ item, palmularúmq; & baccarum myrthi, pyrorúmque decoctum: Sirupi, rosaceus, myrthinus, & similes. Pastilli quoque de spodio hodie nominati, ex succo polygoni, aut vino nigro præbendi. Extrinsecus hypochondriis, lumbis, & pectini illitiones, cataplasmata & cerãta refrigerantia adhibenda, qualia sunt quæ ex aceto rosaceo, polẽta, lactuca, lẽticula palustri, parietaria, foliis vitis, portulaca, & similibus apparãtur. In hũc vsum proderit inunctio ex oleis rosaceo & myrthino, aut illitio ex succo solani, aut pãpinorũ vitis facta. Farina etiã hordei, aceto & rosaceo subacta, cataplasmatis modo hypochondriis imponẽda. Aut vtendũ hoc emplastro, quod ℞ fa Emplastrum.

rinæ hordeaceę ℥ s. pampinorũ vitis, extremitatum ſalicum, burſæ paſtoriæ añ p. i. corticũ granatorũ ʒ iis. portulacæ ᴍ i. ſeminum cotoneorũ ʒ i. roſarũ rub. ᴍ i s. Bulliãt ſingula in aqua, donec ad mellis craſsitudinẽ perueniant: deinde addãtur olei roſacei ℥ ii. olei myrthini ℥ i. & denuo bulliant, & fiat emplaſtrum. Ex prædictis poteſt fieri ceratũ, adiectis hypociſtide, acatia, bolo armenia, reſina & cera. Cæterùm ſudores quoque excitandi erunt, vt nimirum vitioſi humores ad exudationem vertantur. Optima verò eſt in dolio facta ex herbis aut aliis rebus calidis euaporatio ad ſudandum, eo modo vt caput extra dolium promineat. vel vas aqua calida plenum pedibus ægrotãtis in lectulo decumbẽtis admoueatur, & ſudor eliciatur.

Sudores vt excitãdi.

DE VESICAE CALCVLO.

CAP. XXXIIII.

Generantur in veſica lapides pueris frequẽtius q̃ ætate prouectis. voraces enim ſunt pueri, & perpetui motus, & cibis vtcũq; oblatis & nociuis vtuntur, & neq; horã cibum capiẽdi ſeruãt ordinatã: quinetiam priuſquam prior aſſumptus cibus concoquatur, aliũ ingerunt: & quum vehemẽtius à cibo mouean tur, crudus & incoctus in venas cibus diſtribuitur. Mollia autẽ ſunt ipſorum corpora, & quæ facilè cedãt, eiúſq; rei gratiã obturationem circa renes nõ perferunt. Quum autẽ

Pueri lapide veſicę magis laborãt.

Cauſæ.

crassissima lotia in vesicæ amplitudinẽ perse rantur, ibidem velut fex & limus aquæ subsi stũt, ac postea ex loci caliditate desiccata lapidescũt. Cæterùm aquæ impurę, & multo limo refertæ, itémq; duriores & vehemẽter frigidæ, lapidũ generationẽ adiuuãt. Pruriũt laborantes crebrò, & contrectãt pudenda intendúntq;, & cõtinuò ad mingendũ vrgẽtur, ac stillicidio vrinæ vexãtur. Curatio huius mali eadẽ ferè est, quę renũ, cùm calculo afficiuntur. in hoc tamẽ diuersa, quòd validiora medicamenta exigãt vesicæ calculi: & ꝓ vesicæ adhibenda sunt, quę tũ renibus admouebantur. Lapides autem in vesica oborti, iis potissimum medicamentis atteruntur: semine fœniculi, smyrnii, granis pæoniæ nigris, radice fœniculi, artemisia, chamæmelo, althææ radice & semine, sio quod circa aquas nascitur, adiantho, rumicis radice, lapidibus spongiarum, tecolitho, lithospermo, lapide qui ab ægris lotium eiectus est trito & potato, semine xanthii, cortice capparis, abrotani semine, hyacinthi, & similibus, quę ĩ cap. de calculo renum sunt commemorata. His accedit laudatissimum remedium, passer troglodytes, qui minimus passerculus est, iuxta sepes & muros victũ quæritans, vt Paulus & Aëtius tradũt, caudam semper subrectã, & albo colore retro interpunctam habens, & iuxta summum alæ lineamẽtum cinerei coloris.

Sina.

Curatio.

Medicamẽta lapides atterentia.

Hic,inquam,totus sale cōditus, & crudus in cibo acceptus,morbū perfectè sanat. Calculos enim iam creatos per vrinam expellit,in posterúmque generari prohibet.Sāguis denique hircinus ad calculos cùm renum, tum vesicæ præsens remediū est.Nam præexistē-tes soluit,atque ita per lotiū excernit,vt etiā alii ampliùs nō gignantur: præterea & dolorem sedat.Quomodo autem is sanguis colligēdus sit,docet Aëtius libro vndecimo capite duodecimo. Porrò si vesicę lapides per lotium excerni nō queāt,sed ín meatu sint obturati,& vrinæ suppressionē inducāt,ęgrum supinū decumbere oportet,ita vt coxarū partes magis sursū vergāt , indéq; huc atq; illuc multiformiter cōmouere,quò ex meatu excidet lapis:pòst verò ita adhuc supinū & positū sursum vergentē mingere iubere. Sin vero neq; sic excernere posſit,per catheterē instrumētum vrinā prolectare. Deinde ea quæ lapidē in vesica atterere valent, medicamēta adhibēda. Quòd si neq; per hęc curatio procedat, ad sectionē transeundū erit. Post exactum lapidem victus ratio constituenda est, ne eos renasci contingat , quam in capite de calculo renum memorauimus.

DE SANGVINIS EX VESICAE ERVPTIONE,ET GRVMIS EIVSDEM CAP.XXXV.

Rumpitur interdū vena in vesica: & par-

tim quidem sanguinẽ foras mittit, partim verò intus condensatur. Sanguine autẽ condensato, & grumis coactis, ęger animo linquitur & pallescit: pulsúsq; paruos, obscuros, & densos habet, mœrore angitur, refrigeratur, ac viribus destituitur. Quũ verò grumus aliquãdo in vrinarum meatum inciderit, is etiam vrinæ excretionẽ supprimit. Porrò sanguinis eruptionis celerrimè auxiliũ ferre oportet. Quapropter si nihil prohibeat, venã in cubito secare, partita sanguinis detractione cõuenit, vt hac ratione sæpe & paulatim sanguis detractus reuellatur. Aegri verò in decũbendo sursus versus collocentur, & coxendicibus ipsorum leuandis & simul refrigerandis spongiæ posca imbutæ subdantur. Extremæ etiam partes constringendæ, & pectẽ ex spongiis posca imbutis irrigandus. Vrgente malo, summè prosunt cucurbitulę iliis ac lũbis affixæ. Vtendum post irrigationes cataplasmatis ex polygono, rubo, plantagine, balaustiis. Itẽ cerata ex hypocistide, acatia, bolo armenia, & similibus, in capitibus de Sanguinis sputo, & Dysenteria commemoratis. Vesicæ etiam infundendus polygoni, plãtaginis aut millefolii succus, adiectis acatia, bolo armenia, pastillis de spodio, & similibus. Insessus etiam ex consimili materia constructi conueniunt. Dãda quoque in potu medicaméta eductiõi sanguinis apta, vt sunt pęo-

Signa.

curatio eruptionis sanguinis.

niæ grana rubra duodecim tenuissimè trita, terra Lemnia, hippuris, centaurii magni (rhapōticum hodie vocant) radix, thuris cortex, & similia. Porrò quibus sanguis in vesica in grumos cogitur, primùm tētandū est, vt per medicamēta cōuenientia diffundatur ac dissoluatur. In potu itaque prębenda est artemisia, elichrysum (sticada citrinam nominant) absinthium, abrotanum, ramēta vitis, raphani semē, leporis coagulum aut hœdi, vnumquodq; cum oxymelite. oxymeli etiam per se exhibitum, mirificè prodest. grumos enim dissoluit, vt paulatim subinde per vrinā prodeāt. Extrinsecùs etiam balnea, vnguenta, irrigationes, & alia quę relaxādi vim obtinēt, adhibēda: quę sanè singula ex capite de Renum calculo petenda sunt. Præter alia verò hoc ceratum confert, quod ℞ oleorum liliorum alborū, chamæmelini añ ℥ i s. calaminthæ, cumini, foliorum sambuci añ ʒ iii. bituminis iudaici, ammoniaci añ ʒ ii. coaguli leporis ʒ iii. abrotani, farinæ seminis fœnigræci añ ℥ s. ambari subalbidi (sperma cœti vocāt) ℥ i. cū resina & cera quod satis est, fiat ceratū, quod pectini imponatur. Quòd si hoc modo nihil proficias, sed vrina supprimatur necessitatē inducet catheteris adhibēdi. Per quem vbi vrinas eduxerim⁹, rursus prędicta in potu exhibenda, ac extrinsecùs admouenda quæ ad grumorum dissolutionem condu

Grumos sanguini dissoluentia.

ceratum.

cunt. Si verò neque sic grumi dissoluãtur, ad sectionẽ haud secùs quàm in vesica calculo laborante veniendum.

DE INFLAMMATIONE VESICAE. CAP. XXXVI.

Morborũ qui circa vesicam oboriuntur, grauissimus & maximè mortalis inflammatio existit. Cõsequuntur ægros hæc signa. Signa. Febri acuta infestantur, & vigilãt, & delirantes aliena loquuntur, & vomũt biliosa pura, & vrinam reddere non possunt. Durus fit pecten & pubes cum vehementi dolore & egerendi appetẽtia, veluti in tenesmo fieri solet. Quod verò egeritur, tenue est, & subsidentiam nõ habet. Aliquando & inflationes sequũtur, & aluus adstricta est, intestino recto ab inflammatione vesicæ cõpresso. His itaque si nihil aliud prohibeat, sanguis citra cũctationẽ ex poplitis vena detrahendus. curatio. Victus quoque ratio, quę in aliis inflammationibus ac febribus conuenit, adhibenda. victus. Extrinsecùs iis vtendum, quibus leniendi potestas inest. oleo itaq; vesicę regio, in quo anethum, semen lini, aliquando etiam ruta & althæa incocta sint, irrigãda. Quæ extrinsecùs adhibenda. Neque enim frigida & reprimentia medicamenta sunt adhibenda. Primùm quidem, quòd vesica neruosa admodum sit. Frigidũ enim, vt Hippocrates ait, inimicum neruis. 5. Aph. 18. Dein, quod frigida occludant ac stringãt, atq; adeò vrinæ suppresio-

nē, quæ hoc malū sua spōte sequitur augeāt. & quòd ne humores inflammationē efficientes discutiantur aut maturentur, prohibeāt. calida igitur mediocriter admouēda potiùs, quæ quidem dolorem leuant, vrinæ fistulam & meatū laxāt, atque inflammationē ipsam discutiunt. Clysterib. etiam lenibus aluus subluatur, & post stercorū eductionē, oleum anethinū in intestinum leniendi doloris gratiâ iniiciatur. Pręstat autem & papaueris calicem simul cum oleo incoquere, & adipem anserinum aut gallinaceum recētem in ipso oleo eliquatum simul infundere. In vehemētioribus doloribus cum oleo anethino ʒ i pilularū de cynoglossa infundere oportet: aut opium cum myrrha & croco lanæ illitum in podicem indere. In decoctum itē seminis lini, fœnigręci, radicis althææ, seminis dauci, & similiū, insideat æger: admoueatúrq;, quò in aqua decocti desidēs mingat. vesica enim non satis robusta est ad amplectendā & expellendam vrinā. igitur ipsum ægrū aut aliquē ex adstantibus scitè ac placidè pectinē premere oportet: neq; id vltra modū, ne dolor inde intēdatur. Cæterū post clysteres & insessus, fomentis etiā per aquam calidam & oleū in vesicis semiplenis admotis vtendū aut sacculis, quemadmodū in capite de Pleuritide ostensum est. Quòd si neq; sic malum cesset, cucurbita vnà cum scarificatione locis

Clysteres.

Glans.

affigẽda. Porrò abstinendum ab iis erit, quę vrinam vehemẽter citant, ac potio multa vitanda, vbi euidens declinatio apparuerit, ad ea quibus discutiendi & emolliẽdi vis inest, de quibus suprà sæpe dictũ est, transeũdum. Chateteris immissione ad inflammatam vesicam non temerè vtendum, nisi vrinæ suppressę periculum admodum vrgeat. tũ enim necessariò ad eius vsum confugiendum: non sanè quòd mali molestiam tollat, sed vt vrgẽtem vrinæ suppressionem corrigat, & à pręcipiti periculo liberet. Post vrinæ prolectationẽ, rursus ad eadem auxilia quæ mitigant dolorem veniendum, vsque quò inflammatio soluatur aut suppuretur. Solet autẽ sæpe repente inflammatio solui, erysipelate iuxta cutis superficiem oborto, & permanẽte, neque rursus intrò recurrente. Imò & vrina multa eiecta, sæpe iudicatum est malum. Quòd si hæc appareant, nihilominus tamẽ iisdem remediis insistere oportet.

DE STILLICIDIO VRINAE. CAP. XXXVII.

Strãguria græce, stillicidium vrinæ latinè dicitur: & est, quum paulatim & guttatim vrina destillat, ac asiduam ad mingendũ irritationem facit. Hæc fit, aut ob acrimoniã, vel (vt hodie loquuntur) ardorem vrinæ, aut ob exulcerationem vesicæ. Acrimoniam esse causam iudicabis, si vrinæ biliosiores sint, στραγγουρία causa. Signa.

totúsq; corporis habitus, vel etiã reliqua signa bilem testantur, & mordacitas circa vesicam contingat. Vesicæ autẽ exulcerationem ex iis quæ suo dicẽtur loco, deprehendes. Si

curatio. itaq; ob acrimoniã vrinę stillicidiũ accidat, tum sanè exuperantem vitiosum humorem q̃ celerrimè purgare oportet. In quem vsum præterea quæ iam sæpe dicta sunt, mirificè confert serum lactis caprini cum casia fistulari. Cibis etiam contemperantibus, & acrimoniam obtundentibus vtendum: vt est ptisanæ cremor, malua, portulaca, viola, & huiusmodi. Ab omnibus etiam acribus & salsis abstinẽdũ, vino, exercitiis, ira, & tarda comestione. hæc enim omnia bilem in corpore aceruãt. Piscibus vtendum saxatilibus, & balneo aquæ dulcis, quod mirificè humores vitiosos cõtemperare potest. In potu plurima aqua calida dulcis exhibẽda, aut hordei decoctum cum syrupis violaceo & rosaceo. vinum non prębendũ, nisi dulcius, & dilutum. optimũ est & ipsum lac calidum potatum. In summa, quod ad victus ratiònẽ attinet, vtendũ cibis humectantibus ac aluum emollientibus iusculis. cęterũ æger asiduè ad mictionem cogẽdus. Si enim acre recrementũ diutius in vesica moretur, partes ipsas corrodit, & exulcerat. Quinetiã ad obtũdendã humo-

Eolegma rũ acrimoniã subsequens medicamentũ porrigendũ, quod ℞ cõserue violaceæ ℥ iii. ma-

luæ ʒ ii. ſeminũ melonũ, cucumeris, cucurbitę, excorticatorum añ ʒ i. gummi arabici nominati ℈ ii. cũ ſyrupo de liquiritia, fiat eclegma. In hunc etiam vſum præbendum decoctũ dulcis radicis, aut iſte puluis, qui ℞ ſeminis melonis excorticati, citrulli, cucumeris añ ʒ iii. ſeminum cucurbitę, portulacę, lactucæ, añ ʒ ii. roſarũ rub. ʒ i. ſucci dulcis radicis, glandiũ añ ʒ i s. Terãtur ſingula, & fiat puluis ſubtiliſsimus. de quo ʒ i s. quotidie mane in ſyrupo de dulci radice, aut zulapio violaceo, aut roſaceo dentur. Supra modũ etiam cõducit terebinthina reſina, lota in aqua ſtillaticia roſarum, aut intybi, nucis ponticę magnitudine, aliquãdo duarũ triúmve accepta. hæc enim Galeno lib. 5. de Tuend. val. teſte, nõ ſolùm aluum citra noxam ſoluere, atque adeò acres humores à meatibus vrinariis àuertere poteſt, verũetiam viſcera, renes potiſſimum abſtergere. Et fuerunt, qui ſolo huius vſu curati ſunt. clyſteres etiã nõ parũ prodeſſe cõſtat ex decocto maluæ, violarũ, althęę, foliorum ſalicis, nymphęæ, & aliis ſuprà cõmemoratis apparati, adiecta caſia fiſtulari, ſaccharo & oleo violaceo. Quòd ſi verò acrimonia adhuc augeatur, etiã per pené lac ipſum cũ amylo in veſicã iniiciendum. In eum etiã vſum decoctum papaueris albi iniicere oportet. Extrinſecùs pubes oleis violacæo, nymphææ, cũ modico caphuræ inungẽdus.

Puluis.

clyſteres

Si autem ſtillicidium vrinæ ob veſicæ exulcerationem accidat, curatio ex proprio capite petenda erit.

DE DIFFICVLTATE VRINAE. CAP. XXXVIII.

δυσουρία. Dyſuria Græcis difficultas vrinæ Latinis appellatur. Eſt malum, in quo vrina ægrè

causæ. & difficulter excernitur. Fit ob veſicæ imbecillitatem, atque adeò frigidam eiuſdē intemperiem, quæ actionem illius lædit. Cau

Signa. ſa facilè ex victus ratione præcedente, & ex ægri ſermonibus deprehenditur: vrinâ item alba, & aliis quæ frigidā intemperiem oſtendere iam ſæpe diximus.

curatio. Curatio per ea quę calefaciunt, fieri ſolet. Pectinem itaque oleis calidis, rutaceo nimirum, anethino, liliaceo, ſcorpionum, & de caſtoreo fouere oportet. Admouenda etiā fomenta, & ſacculi ex chamęmelo, abrotano, betonica, artemiſia, ruta, calamintha, ſabina, & ſimilibus herbis cōfecti. Aegrum etiam oportet in prædictarum herbarum decoctum deſidere, ac imū ventrē contegere ac calefacere. Interdum etiā proderit per ſedem earūdē herbarum decoctū, adiectis oleis calidis infundere. cibis præterea vtendū calefacientibus, & vrinam ducētibus: velut eſt paſtinaca probè cocta, fœniculum, apium, aſparagus, hippoſelinū, & quicunq; eius generis exiſtunt. vrinam etiam cō modè cient cancri, & herinacei terreni. car-

nem enim illorum exiccare oportet, & drachmæ pondus in potu accipere. Aromatum denique decocta in potu exhibenda, aut eorundem confectiones dandæ. Præter alias verò summè conferunt, cõfectio diacalaminthæ, dialaccæ, & diacurcumæ. Theriaca etiã in potu data, mirificè confert. Multa alia in hunc vsum facientia ex superioribus capitibus petenda erunt.

DE SVPPRESSIONE VRINAE. CAP. XXXIX.

Ischuria, hoc est vrinæ suppresio, malum est, in quo ægris in totum vrina supprimitur & cohibetur. ἰσχουρία Hęc aliquãdo accidit ob imbecillitatem, vesicâ ea quæ in ipsa continentur, artè complecti ac exprimere nõ potente. causa. Interdum autẽ eius ceruicis meatu à crassis humoribus, aut lapide obturato. Quãdoque verò propter inflammationem, aut scirrhum, aut alium quempiã tumorem meatũ angustum reddentẽ, & perfectè obturãtem. Interdum etiam ob carunculam, aut callum in meatu natũ. Sanguis etiam in grumos cõcret⁹ in vesica, suppressæ vrinę causa existit. Pus itẽ crassum per ipsam vesicam à renibus aut iocinore, aut alia quapiam superiore parte excretum, vrinæ supresionem efficit. Accidit & sanis sępe vrinam ipsorum cohiberi, aut ob negotiorum importunitatem, aut in concionibus, aut foro iudiciario, aut somnis

ſi diutius continuerint mictionẽ. afficitur enim in iis comprehenſiua & vrinam obuoluens veſicæ vis, ex immodica videlicet repletione & tenſione. Imò quantum amplitudo ipſius veſicæ expleta circũtenditur, tanto anguſtior ſeipſo fit meatus.

Signa. Si propter imbecillitatem fit, ex iis quæ frigidam intemperiẽ monſtrant deprehenditur. Si à craſsis humoribus, ex victus ratione quæ præceſſit. in ocio enĩ educatus, multis cibis craſſos viſcoſósque humores generare potẽtibus vſus eſt. Si à lapide, eius notæ, quæ ſuprà dictæ ſunt, præceſſerunt. Si ab inflammatione aut alio tumore, dolore, febre, ac viſu facilè dignoſcitur. Quòd ſi ob carunculam aliquam aut callum ſuppreſſio vrinæ orta fuerit, ex pręcedẽtibus vlceris notis, & ex eo quòd traiecto cathetere vrina vacuatur, intelligere poſſum⁹. Immiſſus etiam catheter in ea parte vbi antea vlcus eſſe coniiciebatur, dolorem mouet. fracta ſub cathetere carne, ſequuntur cũ vrinæ excretione & cruor & carnis fragmenta. Si grumi obturationem fecerint, ſanguinis præcedit excretio & effluxus. vbi verò pus obſtruxit, ex præcedentium notitia ſciri licebit. Nam vel veſica vel renes antea malo aliquo laborauerunt, aut in parte aliqua renibus ſuperiore præceſſit abſceſſus: quo rupto, pus in renes, & ſubinde in veſicam tranſſumptum eſt. Reliqua cauſa de ſermonibus

ægrotãtis cognoſcetur. Curãdi ratio iuxta causarum diuerſitatem alia atque alia erit. Si enim propter imbecillitatem & ægrum veſicæ ſenſum, vrinæ ſuppreſsio contigit, irritando ſubmouere, ac excitare eius actionem oportet, & per inſeſſus, fomenta, & alia quæ in cap. de Difficultate vrinæ dicta ſunt, auxiliari. vitanda tamen ſunt ea quæ vrinam ducunt, ne ſcilicet multitudine eius veſica diſtẽdatur. AEger præterea ſic figurandus, vt decliuis ſit ceruicis veſicæ poſitus, ac ſubinde manibus ſupra pubẽ admotis, vrina ſenſim, comprimendo tumorem, expellenda. Nitro etiã, aut pediculo viuo, aut alio quod excretoriam actionẽ veſicæ irritare poteſt admoto, citius vrina procedet. Si verò à craſſis humoribus vrinæ retentio oriatur, fomẽtis, inſeſſionibus ac cataplaſmatis ex herbis calidis compoſitis inchoãda. Hæc enim craſſos humores diſſoluere, ac incidere poſſunt. Prçterea quæ in cap. de Difficultate vrinæ commemorata ſunt, valet hoc vnguentũ quod ℞ oleorum ſcorpionis, nardini, liliacei añ ℥ iii. ſagapeni, bdellii, opopanacis añ ℈ ii. pinguedinis anſeris, anatis añ ℥ s. radicis helenii, pulegii, calaminthæ añ ℈ ii. gummi diſſoluãtur in vino, & cum cera quod ſatis eſt, fiat vnguẽtum. veſicç etiã iniiciendũ oleum ſcorpionũ, aut liliaceũ, aut aliud quod craſſos humores diſſoluere poteſt. Quòd ſi verò propter inflã

Curatio.

Si propter imbecillitatem.

Si ob craſſos humores.

Si ob inflamma-

tionem, aut aliũ tumorẽ. mationem, aut alium tumorem vrina ſupprimatur, curatio ex propriis capitib⁹ petẽda. Itidem faciendũ, ſi à lapide aut grumis vrina ſuppreſſa fuerit. Si ob lapidẽ aut ſanguinis grumos. Lapis ſiquidẽ ex loco excutiendus & dimouendus, quemadmodum cap.34. eſt prædictum. Sanguinis verò grumi diſſoluẽdi, eo modo ſicut cap.35. dictum eſt. Si ob carũculam aut callũ. Quòd ſi ob carunculam aut callum ſuppreſſa fuerit vrina, balnea & alia remedia relaxantia, ac vrinariam fiſtulã dilatantia ſunt adhibenda, de quibus in cap. de calculo renum abunde diximus. Si ob negotiorũ importunitatem. In ſanis autem quum ob negotiorum importunitatem vrina diutius retẽta veſicam debilem reddat, auxiliari oportet ipſi, manibus ſupra pubem admotis ac vrinâ ſenſim expreſſa: veluti in curatione ſuppreſsionis vrinæ ex imbecillitate veſicæ factæ, fuſiùs oſtenſum eſt.

DE VLCERIBVS VESICAE, ET EIVS CERVICIS. CAP. XL.

Cauſæ. Exulceratur veſica aut propter abſceſſũ, aut ob tuberculum quod præceſſit, aut ex ruptura, aut ob fluxionis eroſionem, aut aliam ſimilem cauſam. Signa. Aegros dolor acutus veſicæ omni quidem tempore comitatur, maximẽ verò tempore mictionis, & excretionis puris. Et ſiquidem ſordida fuerint vlcera, feculẽta ſimul excernuntur, & mucoſa, & quæ craſſam ſubſidentiam ad modum farinæ habent. Aliquando autem pelliculæ tenues ad

modum foliorum & lanarum cum vrina excernuntur. Si verò ſerpendo depaſcant vlcera, ſubcruenta excernuntur, & ranioſa, ac fœtentia. Ad hæc accedunt difficultas emittẽdę vrinæ, & pudẽdi arrectio, ac petulantia. Dolor autem non ſolum cùm vrinæ meatus fuerit exulceratus, ſed & quum in profundo exulceratio conſiſtit. Cognoſcetur autem num in profundo, ſiue iuxta vrinæ fiſtulam ſit exulceratio, ex eo, quòd ſi in amplitudine veſicæ fuerit, dolor circa pubem conſequatur. Si verò iuxta ceruicem veſicæ vlcera exiſtant, tempore mictionis tantum, & maximè vbi mingere inceperint ac ceſſauerint, dolor ſentitur: atq; id amplius contingit, ſi vrinæ ſint acriores. Inſanabilia verò, aut ſaltem curatu difficillima ſunt veſicæ vlcera: tum quia ipſa neruoſa eſt: tũ etiam quia vlcera eius vrina, quæ acris eſt natura, aſsiduè contingit, eroditque, nec vt glutinentur, permittit. Verùm quũ ſæpe etiam præter expectationẽ quædã eueniant, cura aggredienda eſt, per quam ſi nihil aliud, certè acceſſorii dolores minuentur. Primum igitur perſuadendũ eſt ægro vt decumbat, & in lecto quietem toleret: idque maximè, ſi febres ſimul adſint. Deinde remedia febribus intermittentibus adhibẽda. Maximũ verò hic fuerit lactis potus, neq; poſt vllum aliud remediũ ſecundo loco id habendum. nam & aſperitates lenit, & vlcerationes

Inſanabilia, aut ſaltẽ difficillima curatu cur veſicæ vlcera.

curatio.

Lactis potus.

eluit, malúmque abstergit. Reliqua veró victus ratio talis sit, qualis ea est quæ in renum exulceratione adhibetur. Per medicamenta etiam ægrum cõsolari oportet, quæ pubi imponuntur. Etsi quidem cum inflammatione exulceratio cõsistat, cataplasmata ex lini semine & fœnogreco, aliáq; quæ suprà in cap. de vesicæ inflãmatione dicta sunt, apta erũt. Porrò si exulceratio pascendo serpat, subadstringẽtia extrinsecùs apponẽda sunt: atque hæc quidẽ calida, vt ob calorem quidẽ partes circũdolitantes leniendo iuuent, ob potestatem autem ipsorũ vicinos locos depascere prohibeant. Vtendum etiã iis quæ per catheterem infunduntur medicamentis. Infundẽdum itaq; inflammatis locis lac recèns mulctum, aut rosaceum optimũ tepefactũ. Si verò nihil horũ adsit, aqua dulcissima tepida assiduè infundenda, mordacitatis tẽpore instante. Per sedem quoq; ptisanæ succus, aut decoctum ex semine lini, cucumeris decorticati, fœnigræci, malua, aut lac cũ rosaceo infundendum. Frequenter autem & in aquam calidam desideat æger, & in decocta relaxãtia: nam hæc dolores mitigant. Atqui vbi vlcera iam pascendo serpunt, per catheterẽ in vesicam iniiciẽda sunt, quæ depastionem sistere possunt: vt sunt acacia, hypocistis, alumen, malicoriũ, gallæ, terra lemnia, bolus armenia, & similia. Quòd si verò sordida sint

vlcera, medicaméta infundéda sunt, quæ repurgandi & abstergendi facultaté obtinent: velut est mulsa dilutissima, vel lac cum paululo mellis, vel cũ cucumeris semine decorticato. Si verò acrimonia consequatur & mordacitas, lac recèns mulctũ cum optimo amylo infundatur, aut Pompolyx, hoc est thutia, pluribus aquis elota & exiccata, atq; deinde cum lacte diluta. Quũ verò repurgata fuerint vlcera, adiuuare oportet quò ad cicatricé perducãtur, atq; id per insessus adstringentes, & eiusdé facultatis emplastra, fomenta, & irrigationes. Cæterũ si ad multum tempus exulceratio duret, tũc sanè & exacerbationes & interualla siue remissiones ægros apprehendunt. Quapropter in exacerbationibus quidem cataplasmata, fomenta, & irrigationes, leniẽdi vim habentia adhibeãtur. Remissionis verò tempore iis quæ malũ destruere possunt, vtendum. Pectini itaq; rubefaciẽtia ac sinapismi imponãtur, ac victus ratione viribus reparandis apta vtendũ. Quòd si nõ mansuescat malum, crustas circa pubé infligere oportet, aut per medicamenta aut per ferrum, sineréque vt per multũ tempus vlcera se per effluxionem repurgẽt. Nõ ineptè verò medicamenta dolorem leuantia in potu exhibueris, si vehementes instẽt dolores. In hũc sanè vsum cõueniũt pastilli de halicacabo, seu trochisci de alchichengi hodie

nominati, cum opio. In vesicam quoq; iniiciẽda, quæ dolores mitigare possunt.

DE HIS QVI RE VENEREA VTI NON POSSVNT.

CAP. XLI.

Qui mariti existunt, at re venerea vti cũpiũt & debẽt, ignaua autẽ & impotentia mẽbra ob frigidã eorundem intẽperiẽ aut aliud malum habent, infernas partes exerceant, & cibis vtantur calefacientibus & bonum succum generantibus carnibus gallinarũ, caponũ, perdicum, phasianorum, iuuenũ colũbanũ, auicularũ montanarũ, passerum potiss. testiculis gallorũ, & similibus. Edulia verò nõ solũ bene nutriẽtia, sed etiã flatuosa ipsis cõueniunt: veluti cicer, fabę, alica, bulbi, porri, pastinacæ radix & semen, nuces pineæ, amygdalæ dulces, & similia. oua itẽ perdicis ad coitũ excitant. Dormiant in mollibus lectis, legántq; quæ ad coitum cohortãtur, lectionibus itẽ assideãt. Naturalia continuè ex omnibus itẽ asſideãt. Naturalia continuè ex oleis, vnguentis, aliísq; calefacientibus medicamẽtis confricent. In quẽ vsum hoc vnguẽto vti licebit, quod ℞ oleorũ liliorũ alborũ ℥ i s. de castoreo ℥ s. piperis, nigellę, pyrethri añ ℈ i. myrrhæ ʒ s. euphorbii gr. iiii. ceræ quod satis est, fiat vnguẽtũ. Medicamẽtis etiã quæ seminis multitudinẽ augere, & calefacere possunt, vtãtur: qualia inter simplicia sunt eruca, sinapi, nasturtiũ hortense, semen rapi,

Victus.

Vnguẽtũ.

Simplicia me-

vrticę, ari radix, piper, satyriū, horminū, anisum, scylla, orchis: cuius quidem maior bulbus cū lacte potatus, tentiginē cit: minor verò cū aqua potatus, tentiginem remittit. Testes vulpis sicci triti bibiti, innocuā & minimè vanam membri tentiginem faciunt. Partes etiam scinci renes amplectentes, ad tentiginem pudendorum excidendam bibūtur. Pudendum cerui aridum vrito, & ʒ i cū vino meraciore præbe. Inter composita isto vti licebit, quod ℞ confectionū dianthos, pliri, sarcoticō, diagalangæ aā ʒ iii. diasatyrion ʒ vi. nucum pinearum, amygdalarū dulciū, pistaceorum aā ʒ ii. satyrii ʒ i. radicis ari ℈ i. seminum erucæ, vrticæ, nasturtii hortēsis aā ʒ i s. caudæ scinci ʒ s. nucis Indicæ ʒ i. piperis longi, zingiberis aā ʒ i s. scobis pudendi cervini ℈ i. cum saccharo, & syrupo de menta quod satis est, fiat eclegma. de quo ante cœnam, aut ieiunis, per se, aut cum vino detur drachma vna, aut duæ.

dicamenta coitū concitantia.

Eclegma

DE SEMINIS PROFLVVIO.
CAP. XLII.

Gonorrhœa Grecè, seminis profluuiū Latinè dicitur. Et est excretio seminis pręter voluntatem, citra pudendi tentiginē. Fit ob retentricis in vasis seminariis facultatis imbecillitatem, aut ob aliud malū, quod seminariorum vasorum partes eodē modo, quo expultrix secundum naturam facultas mouet:

γονοῤ-ῥοία.

causæ.

veluti in comitialibus & aliis violentioribus cõuulsionibus contingit. oboritur autẽ aliquando etiã ex seminariorũ vasorũ fluxione. Semen quod profluit, aquosum, tenue, citra appetentiã coëundi, & vt plurimũ quidem citra sensum, quandóq; verò cum voluptate quadam promanans. Corrumpitur sic patientibus sensim vniuersum corpus, ac gracilescit, præsertim circa lũbos. consequitur & debilitas multa. Et si pudendo nõ intẽto euenerit, retentricis in seminariis vasis imbecillitatẽ sequitur. Si verò intẽto pudendo contigerit, cõuulsioni quodãmodo similis erit affectus. Nõ solùm viris, sed & mulieribus accidit, & in fœminis sanè egrè tollitur. Cura

Curatio. cõmunis est cũ ea quæ in omni fluxione adhibetur. Primũ igitur in quiete, pauco cibo, ac aquę potu ęgros adseruare oportet Deinde etiã lũbos & pubẽ cõtegere lanis rosaceo, aut melino madefactis. Neque verò ineptæ sunt spõgię poscâ imbutæ. Sequentibus vero diebus cataplasmatis, emplastris, & vnguentis ex palmis, cotonis, acacia, hypocistide, rhoë, & similibus suprà sæpe cõmemoratis, vtendũ est. Insessibus quoq; adstringentibus ex rubi, plantaginis, myrthi, & similiũ decocto, vel etiã aquis. Cibis aũt vtendũ qui ægrè corrũpuntur, & difficulter permutãtur, & resiccãdi vim habẽt. Dandũ etiam cũ potu ac cibis, agni seu viticis ac canabis semẽ, præ-

o. parle lesen

ſertim toſtũ, rutæ itẽ ſemẽ & folia, lactucę ſemẽ & caules, ac nymphęæ (nenuphar hodie appellant) radix. In potu verò quotidie pro aqua cõmuni, aqua in qua ferrũ ſæpe extinctũ eſt, prębeatur. Quid multa? omnẽ acriũ rerũ eſum, & multi vini potu, & olerũ exhibitionẽ vitare oportet. victus verò ratio vniuerſa reſiccatoria & adſtringẽs conſtituẽda eſt. Ea etiam medicamẽta quæ ſemen extinguunt, propinãda, veluti eſt agni ſeu viticis ſemen, toſtũ & perfrictũ. folia itẽ eius, & flores, venerẽ cohibere credũtur, nõ commeſta tantum, ſed in potu ſumpta, & ſubſtrata. Portulaca comeſta, & lactucæ ſemẽ potatum, & nymphææ radix & ſemẽ in cibo accepta, ſemen refrigerando extingunt. Ruta verò comeſta calore ſuo ſemen corrumpit. calaminthã autem aſſiduè edentes generandi potentia priuãtur. Ex iis atque aliis eius farinæ medicamẽtis varia componi poſſunt remedia, hoc potiſsimum, quod ℞ ſpecierũ diacumini, diacalaminthæ añ ℥ i s. ſeminis agni, rutæ añ ℥ i. calaminthæ ℥ ii. ſeminis lactucæ, portulacę ℥ i. ſacchari ęquali omniũ põdere, miſce, fiat tragea, de qua detur ℥ i. aut ℥ i s. in vino auſtero diluto. Optimũ etiã cẽſetur, laminã plumbeam lumbis ſupponere: multũ enĩ refrigerare cõſueuit. In his verò qui plũbi duriciẽ ferre nõ poſſunt, cõſulere oportet vt ex prædictis herbis q̃dã arefactæ ſubſter-

Semen extinguẽtia.

Tragea.

water lily
or water
rose

purslane

nantur. Potiſsimum verò ad hunc vſum con ferũt viticis folia,& modica ruta ac calamin tha: maximè verò ipſæ roſæ. Proſunt enim hæc citra renũ læſionem. vehementes nanq; refrigerationes eorũ quę lumbis ſubduntur, renes iniuria afficiunt. Ipſum etiã ſtratũ non valde molle ſit. Decubitus porrò vt plurimũ in latus fiat, vitatâ formâ decubit⁹ ſupinâ, ne lumborum arteriæ inde calefiãt. Poſt prima autẽ morbi tẽpora exercitiis ęgrũ cõmittere oportet, quib⁹ totũ corpus,& præſertim partes patientes cõfirmentur. Bonũ fuerit etiã ſi nihil prohibuerit, ad frigidã lauationẽ deſugere, quæ omnẽ morbũ ex fluxione obortũ depellere conſueuit, maximè ſi medicamentaria qualitate aqua ſit prædita. conuenit itẽ per interualla quędã iis quæ rubefacere, atq; ea quę in profundo ſunt ad ſuperficiẽ trãsferre poſſunt, vti. Cęterùm omnẽ de rebus venereis cogitationem excludere oportet.

DE EXVLCERATIONE PVDENDI. CAP. XLIII.

Naturaliũ ac pudendorũ vlcera citra inflammationẽ oborta, medicamẽtis indigẽt, quæ vehemẽter reſiccant: cuiuſmodi ſunt ex charta combuſta, anethũ vſtum aridũ, aloë arida in puluerẽ redacta, præſens ſanè remediũ: & piſtolochię (quam ariſtolochiã rotundam vocant) radix. Inter compoſita is puluis potiſsimum conuenit, qui ℞ aloës ʒ ii. gallę

Puluis.

℥ i s. sanguinis draconis, boli armeniæ, pompholygis, id est thutiæ añ ℥ i. radicis pistolochiæ ℥ s. myrrhę ℈ i. gummi arabici nominati ℥ ii. aluminis usti ℥ s. misce, fiat puluis. At si humidiora ac sordidiora vlcera euenerint, primum dilutiore mulsa, mox lacte caprino vlcus abstergẽdum. Dein puluere iam dicto vtẽdum, aut lapide hæmatite, aut thure, aut malicorio, aut lemnia terra, in puluerem redactis vtendum. Quòd si simul inflammatio affuerit, hæc ipsa primum remouenda erit, linteis in aqua stillaticea rosarum, aut solani, aut portulacæ, albo oui adiecto, madefactis, & loco patienti admotis.

DE RAMICE. CAP. XLIIII.

Cele Græcis, ramex & hernia Latinis, ruptura Barbaris scriptorib⁹ dicta, variis fit modis, & per adiectionẽ varias accipit appellationes. Si enim peritonæo rupto intestina in scrotum deuoluuntur, Enterocele gręcè, latinè autem ramex intestinorum dicitur. Quando verò intestina suprà in inguinibus hærẽt, Bubonocele Græcis, Latinis autẽ ramex inguinis vocatur. Quòd si humor aliquis lẽtus in scroti parte colligitur, Hydrocele Græcis, aquosus verò ramex latinis appellatur. Quũ autem caro dura intra testium tunicas increscit, Sarcocele grecè, carnosus verò ramex latinè dicitur. Quid multa? nomẽ semper à rebus opplentibus, ramicis genera accipiunt.

κήλη. Ramex. ἐντεροκήλη. βουβωνοκήλη. ὑδροκήλη. σαρκοκήλη.

ἐπιπλο-κήλη. Hinc si omentum in scrotum descendat, Epiplocele, id est ramex omenti nũcupatur: Sic κυρσοκή-λη. vbi venę vltra modum repletæ glomerantur ac dilatantur, Cyrsocele, hoc est varicosus ramex nominatur. causæ. Ramices intestinorum & inguinis generãtur, vel quòd peritonęũ plus æquo extenditur, vel quòd frangitur. vtrũq; verò ex violẽta quadã occasione præcedẽte, nempe ictu, aut saltu, aut clamore, aut ingentis molis sublatione accidit. Aquosus verò ramex quandoq; ex occulta, quandoq; ex manifesta causa cõtingit. Ex occulta quidẽ quãdo adauctis vasis in scroto contextis, aquosa materia propulsa, & sanguini admixta, ad eas partes decubuerit. Ex manifesta autẽ causa, quãdo propter percussionẽ collisis aut fractis vasis, sanguis subinde defluẽs ad aquosam substãtiã trãsmutatur. Carnosus ramex itidẽ ex latente causa nascitur, testiculo fluxionẽ experto, induratóque, aut ex ictu, aut imperita post ramicis succisionẽ curatione. Signa. Notę vtriq; ramici & intestinorũ & inguinũ communes. cõspicuus enim in scroto aut inguine tumor, qui in exercitiis, itinere, spirit⁹ retentione, aliisq; occasionibus maior quàm prius euadit, cõpressus tardè quidẽ recurrit, celeriter autẽ rursus deuoluitur. Peculiaria ramicis ad extensionẽ relati indicia sunt, quòd non vniuersim, sed particulatim tẽporis spatio, & ob causas quaslibet intestinũ deuolua-

carnosus

tur, tumor ęquabilis & profundus appareat, intestino quod deuolutũ est peritonęo constricto. Ex ruptura facti ramicis signum est proprium, ꝙ vniuersim ab initio intestinum deuoluatur, ídque ob causas violentas dũtaxat: tumor immẽsę magnitudinis, inęqualis, & per summa protinus in cute emineat. ꝙ scilicet intestina extra peritonæum elabantur. Aquosus ramex ita dignoscitur, ꝙ tumor sit dolore vacans, firmus, ac stabilis in scroto, quacunque tandẽ occasione non euanescẽs, sed in iis qui modicum continent humorem cedens: in illis qui copiosum habẽt, nõ item. Et cum aquosus humor extiterit, tumor con color pellucet: quum feculentus, aut sanguineus, aut rubicũdus, aut liuidus apparet. Carnosum ramicem color vbique sui similis cũ duritia cõsequitur. si autem tumor in scirrhũ coalescat, nullus nec color nec sensus adest: si maligni referat naturã, dolor vrget punctorius. Cæterum ramicem intestinorũ & inguinum curamus hũc in modum. Aegro resupinato diductis cruribus, intestina sensim reducere, ac reducta deinceps idoneis ligamẽtis retinere oportet. si verò reductioni minus obtemperẽt intestina, emolliẽtia, ac inflammationẽ dolorémque leuantia & flatus dissoluẽtia fomẽta, linimẽta, balneáq; adhibẽda: qualia sunt quæ ex malua, chamæmelo, anetho, seminibus lini, fœnigræci, carei,

Aquosus

Carnosus

Ramicis intestinorũ & inguinũ curatio.

anisi,cumini & similibus componũtur. lana etiam succida, vino & oleo madefacta, loca dolentia fouenda sunt.reductis intestinis,conandum vt intestina idoneis ligamentis retineãtur. In quẽ vsum cerata & emplastra sunt adhibenda: potissimũ verò hoc,quod ℞ picis naualis,mastiches añ ℥ iii. thuris ℥ ii.hypocistidis,sarcocollæ,acaciæ añ ℥ i s. lapidis hęmatitis,sanguinis draconis,aloës añ ℥ ii s. boli armenię,symphyti radicis,gallarũ,malicorii añ ℥ iii. visci quercini ℥ i s. aristolochię vtriusque ℥ ii.rhois, balaustiorũ añ ℥ i. sepi hircini ℥ ii.terebinthę & ceræ quod satis est, gummi antea in aceto aut vino dissolutis, formetur ceratum, quod in pelle arietis impositum alligetur,nec ante septimum aut nonũ diem soluatur.Interea ęger in lecto maneat diebus triginta,& à cibis inflãtibus abstineat,vino copiosore,vehemẽti motu, nẽpe cursu,saltu,clamore,& id genus aliis: bibátq; decoctũ,quod ℞ pedis leonis, saniculę,herbę fortis,(quam cõsolidam sarracenicam vocãt)eupatorii añ M i.cynoglossi officinarum,polygoni,clematidis daphnoidis, plantaginis añ M s.radicis symphyti ℥ s.radicis symphyti petræi ℥ v.seminis myrthi ℥ iii. balaustiorũ ℥ ii. foliorum lauri ℥ i s.bulliant in vino & aqua iustæ quantitatis, quo ad tertia pars absumpta fuerit:dein colentur,& cũ sacçharo fiat potio delectabilis,de qua singu

Ceratũ.

victus.

Decoctũ glutinãs

lis diebus matutino tempore détur ℥ iiii. Cæterùm maximè etiam annitédũ, ne aluus induresçat: ne scilicet si nimio conatu stercora excernantur, simul intestina iterũ deuoluantur. vtendum quoque cõuenienti, vt antea diximus, deligatura, præcipuè si occasio motũ præciperet. Porrò aquosus ramex per ea quę calefaciunt & exiccant medicamenta curandus, vt est farina fabarum, baccæ lauri, semẽ lini, dauci, althęæ, & id genus alia, de quibus in cap. de Ascite, & reliquis aquę inter cutem generibus abundè dictũ est. Chirurgicã prędictarum, omniúmq; aliarum ramicum specierum curãdi rationem lib. 6. cap. 62. & sequentibus copiosśimè tradit Paulus: quã vt hic tractemus, non est nostri instituti. quare ad vteri pathemata progrediemur.

Ramicis aquosi curatio.

DE SVPPRESSIS MENSIBVS. CAP. XLV.

Mulieribus quibusdã menses supprimuntur, vel naturaliter, vel præter naturam. Si naturaliter, hinc colligere licebit, quòd mulier nulla inde molestia vel totius corporis, vel vteri afficiatur, ætatis itaq; ratione plurimis menses quartodecimo anno fluere incipiũt, paucisśimis ante tertium decimum aut duodecimum: plerisque autem post quartumdecimum erumpunt. desinunt verò aliis anno quinquagesimo, paucis autem vsque ad sexagesimum durãt: steriles etiã mulieres, in vte-

Causæ. Quibus naturaliter mẽses supprimantur.

ro habentes & saltrices, naturaliter non purgantur. Nã quicquid in eis recrementi est, nimia exercitationis vehemẽtiâ absumitur. & vt summatim dicã, mulieres calidioris temperaturæ, validísque exercitiis vtẽtes, & agrestes, parum aut nihil per mẽstrua purgãtur.

Quibus præter naturam menses detinentur.

Nonnunquã autem præter naturã menses nimia vel pinguedine vel gracilitate supprimi solent. Pingues enim exanguiores reliquis sunt, minimásque venulas habẽt: quíque illis inest paucissimus sanguis, ferè in pinguedinẽ trãsit. Graciliores verò ob diuturnũ aliquẽ morbũ extenuatæ, nihil prorsus superuacui sanguinis cõtinent. præthereà mẽses non defluũt, quibus sanguis vel crassus, vel lẽtus, vel per alia loca delatus fuerit: sicuti per nares, aut sedẽ. aliis etiã, ꝙ è thorace sanguinẽ eiectauerint, aliis ꝙ è dissecta vena vltimã sanguinis inanitionẽ tolerauerint, menses suppressi sunt. sed & reliqua excretionũ genera idẽ sæpe effecerũt. vt sudoris multitudo, assidui vomitus, alui ꝓfluuia ac pustularũ omne genus quæ in cute efflorescunt. sic præter has omnes causas menses supprimũtur ob acutos maximósq; morbos, & ob alimenta, quæ vel paucitate, vel multitudine sua excesserint. A pauco enim alimento paululũ quidpiam confestim expirat: à multo verò meatus obstruuntur, & excretio intercipitur, sæpe etiã in ore vteri calli oborti, aut carnis excrescẽ-

tiæ, aut pinguedinis copia purgationē menstruam impediūt. Quibusdā etiam cicatrices vlcerū, quæ in vtero præcesserūt vasorū ora, à quibus sanguis in vterū ferebatur, obstruxerunt. Nōnullis post abortū vteri ore exulcerato, ac deinceps ad cicatricē ducto, obstructio ac cōpactio superuenit, quæ sanguinis per vterū excretionē aufert. curæ quoq; pertinaces, formidóq; immodica, & ingés mœror mēses intercipiunt. Frigida denique aut alia vteri intemperies mēses remoratur. Suppressa mestrua totius corporis grauitas, nauseæ, fastidia, & horror inęqualis cōsequūtur. dolores præterea circa lumbos, femora, collū, sinciput, & fundamenta oculorū existūt. Itē febres ardētes, & vrinæ nigricātes, cū rubra quadā sanie: perinde ac aquæ, ex qua nuper mactatę carnes ablutæ fuerūt, fuliginem quis miscuisset. quibusdā etiā vrina aut difficulter reddit, aut omnino supprimitur: causarum verò diuersitas magna ex parte de sermonib⁹ ęgri cognosci potest. Frigidioris autem tēperaturę fœminas ex iis potissimū dignoscemus, q̄ somnolētiores, ad omnémq; motū segniores sunt, ac colore candidiores, seu plūbeæ, vrina aquosa, & aliis quæ iam sæpe dicta sunt. pituitam quoque iugiter excreant, & interdum etiā pituitosos humores euomunt. Calidioris autem temperaturæ notæ, iam commemoratis prorsus contrarię

Signa.

Frigidioris tēperaturæ notæ.

Calidioris.

Plenitudinis. sunt. Plenitudinis verò, quam obstructio cō sequitur, notæ ex aliis capitib. colligēdę. quę enim hac ipsa laborant mulieres, menstruorum tempore magis grauātur, doloréſq; circa lumbos & pubem percipiunt, venæq; illis in tumorem insignem eleuantur. cæterū si à

Frigidioris temperaturæ curatio. frigidis ac crassis humoribus menses supprimuntur, cibos calidos & extenuātes, de quibus iam sæpe est dictū, exhibebimus. Vinū etiam fuluum, odoratum, & antiquum vt bibant præcipiemus. exercitia quoque, & alia quę corpus calefacere, crassósque ac lētos humores incidere & extenuare possunt, præscribemus. Si plenitudine laborauerit mulier, & nihil aliud ꝓhibeat, à sanguinis missione curādi ratio inchoanda erit. Secāda verò vena malleoli aut poplitis, ídque non ante statum mensium tempus. neque inutile erit, cruribꝰ cucurbitulas affigere. Sin plenitudo nulla fuerit, purgatione vtendū, humoribus tamē anteà ad expulsionē pręparatis. In quē vsum

Decoctū hoc decoctum exhibeatur, quod ℞ radicum acori, iridis, oreolini, asparagi añ ℥ i. seminū apii, fœniculi, rusci, ansi, dauci, ammi, vrticæ añ ʒ i. calaminthæ, absinthii añ M s. origani, abrotani, artemisiæ, pulegii, asari añ M i. hyssopi M i s. cinamomi electi ʒ i s. bulliāt singula in aqua iustæ quātitatis, quoad tertia pars absumpta fuerit. dein excolētur. & saccharo sufficienti adhibito, adiiciātur syrupi de ca-

amintha, de hyſſopo, de marrubio añ ℨ i s. miſce, fiat potio: qua hauſta, purgatoriũ ſumatur medicamentũ aliquod nimirũ hierapicra, eclegma diaphœnicôn, indi, catapotia de agarico, de benedicta, aut ſimilia. à purgatione ex ercẽdæ mulieres, potiſsimum obambulationibus, & inferiorũ frictionib⁹. Fomentationes denique, inunctiones, & balnea ex chamæmelo, artemiſia tenuifolia, mẽcaſtro, & aliis quę in decocto paulò antè memorata ſunt, oleis de lilio, rutaceo, & ſimilibus parata, adhibenda. Poſt hæc medicamẽta, quæ ſuppreſſos mẽſes euocãt, protinus, vt ſcilicet adhuc calido & ſoluto corpori occurrentia vires ſuas oſtẽdant, exhibenda. In quẽ vſum conferunt myrrha, caſtoriũ, baccæ lauri, rubea tinctorum, piper, ſaluia, ruta, ſabina, caſia, & alia quę ſuprà cõmemorata ſunt. vnicè autem hoc cõfert, quod ℞ caſtorii ℨ i. mẽtaſtri in puluerẽ redacti ℨ s. vini antiq aut mulſę ℥ iii. miſce, & à balneo calidum propinato. Benefacit etiam decoctum pulegii, artemiſiæ, rutę, cumini, dauci, ſaluię, anethi, ammeos, fœniculi, inulæ, & ſimilium. calaminthæ etiam in puluerẽ redactæ ℨ ii. aut ſabinæ ℨ i. in vino aut mulſa pota. mirificè conducũt paſtilli de myrrha. Abſinthites autem vinum per totius curationis decurſum bibendũ. Peſſis etiam in vterũ demiſsis, neceſsitate ſic exigente, vtendũ: ex quorũ numero hic eſt, qui

Mẽſes euocãtia.

Peſsi.

℞ triphere magne citra opiũ ʒ i. farinæ erui, nigellæ, rubeæ tinctorum, artemisie, pulegii an̄. ℈ i s. ſucci rute ℥ ii. miſce, fiat peſſus, qui cũ lana vel œſipo ſupponatur. Et hic, qui ℞ myrrhæ, bdellii, ſtyracis an̄ ʒ i. calaminthæ, abrotani, abſinthii an̄ ʒ i s. radicum acori, rubeæ tinctorum an̄ ʒ i. ſeminis nigellæ, rutæ aridæ, baccharum lauri an̄ ℈ ii. ſabinæ ℈ i. caſtorei ℈ s. Redigantur ſingula in puluerẽ, & cum melle, aut triphera, aut mithridati antidoto quod ſatis eſt, formẽtur peſsi. Metrẽchytis etiam vtendũ. in quem vſum vtero infundimus olea calida: irinũ nimirũ, liliaceũ, laurinũ, & ſimilia. Suffitis etiam ex ſtyrace, galbano, thure, bdellio, radice ariſtolochiæ, artemiſia, nigella, gariophyllis, cinamomo, & ſimilibus paratis vtendum erit. Fouendus quoque vterus odoratis fomẽtis, maiorana, ſerpillo, calamintha, chamæmelo, pulegio, artemiſia, radice iridis, & ſimilibus in olla decoctis: quã operculo perforato operire oportet, arũdinémq; aut aliũ canalẽ foramini inſertum vndique circunlinere, vt deinde ſedẽs mulier excepto canali foueatur. Proderit etiam, vt mulier huic decocto vſq; ad vmbilicũ inſideat, & ĩde peſſos paulò ante memoratos ſibi admoueat. Cæterũ calidiores & plurimùm exiccate mulieres curantur, ſi q̃ maximè humectẽtur vberiore humidioréq; cibo ac potu: quales ſunt qui è carnib⁹ agni,

Metrenchytæ.

Suffitus.

Fomẽta.

Inſeſſus.

Calidioris tempe rature cu ratio.

hœdi, è piſcibus teneras carnes habentibus, auibus altilibus, & ſimilibus parantur. vino vtendum cãdido, non admodùm antiquo & diluto: balneis item dulcium aquarũ. & vt in pauca rem contraham, victus ratione ea vtẽdum, quæ hecticis adhibetur. Reliquæ curationes ex ſuis petantur capitibus.

DE REDVNDANTIBVS MENSIBVS. CAP. XLVI.

Redũdare mẽſes in mulieribus dicimus, quando vltra cõſuetum tempus purgationis magnâ copiâ effluxerint. Tempus autẽ vnicuique purgationi ſtatum & ordinatum nõ eſt. multis enĩ ad duos tréſve dies, haud paucis vſque ad quintum profluit, aliis etiam ad ſeptimum vſq;, rarò ad duodecimum purgatæ ſunt. Fit ob fracta aut aperta vaſa, vel magna, vel parua. Amplioribus vaſis ruptis aut apertis, cõfertim ſanguis profluit. minorib⁹ verò apertis, ſenſim, nec magnâ copiâ promanat. Ab eroſione ſi accidit, tũ non ſolum paulatim, verùm etiam cum maximo dolore effluit. Porrò quũ immodicè promanãt menſes, color fœdus conſequitur, pedes molli tumore attollũtur, corporis robur proſternitur viciatur ciborũ tum appetitus, tũ concoctio: atque in totum omnia, quæ immoderatã ſanguinis vacuationẽ ſiue ex hęmorrhoide, ſiue alio quopiã ſanguinis fluore euenientem ſequi conſueuerunt. In primis igitur artus &

Cauſæ.
Signa.
Curatio

extrema corporis ab alis & inguinibus, vinculis excipere oportet. cucurbitulas etiam leues magnas ſubter mammillas, iuxta Hippo-
5.Aph. cratis ſententiam, affigere conuenit. cibis & potionibus auſteris & adſtringentibus vtendũ. Aſsis autem potius quàm elixis veſcatur ęgra: carnibus potiſsimum, quibus ſuapte natura deſiccandi facultas ineſt, vt auium montanarũ, & agreſtium animalium. motu & vino abſtinẽdum, & pro eo adſtringẽti potione vtendum.

Medicamenta menſes conſtringentia.

Medicamenta adſtringẽtia ſimplicia in potu propinanda, hæc ſunto. balauſtium, hypociſtis, acacia, coralli, lyciũ, terra lemnia, galla, polygonum, ſymphytũ vtrunque, hæmatites, calices glandium, plantago, oxyacãtha, & ſimilia. Compoſita, ſyrupi roſaceus, myrthinus, paſtilli de ſuccino, & terra lemnia.

Pilulæ.

Itẽ hæc catapotia, quæ ℞ terrę lemniæ, boli armeniæ, thuris, maſtiches, gallarũ añ ℈ ii. ſanguinis draconis, hæmatitis añ ℈ i. cornu cerui vſti ʒ i. hypociſtidis, acaciæ, corallorum rub. añ ʒ s. balauſtiorum, roſarum rub. añ ℈ ii ſuccini ℈ i. cum ſyrupo myrthino formẽtur catapotia, de quib⁹ ʒ i aut ʒ i s. propinabimus. Extrinſecùs vnguẽta, emplaſtra cerata, & epithemata adſtringẽtia, vtero adhibeantur: qualia multa ſuprà in capitib. de Dyſenteria, diarrhœa, & lienteria dicta ſunt. Inſeſſus etiam ex decocto prædictorum medicamentorum parati conueniunt. item quæ

vtero iniiciuntur: in quem vsum plantaginis succus mirificè confert. Succus item polygoni, aut solani, aut hypocistidis, aut acaciæ, & similes. pessi quoq; vtiles sunt, qualis est qui ℞ thuris, balaustiorum, gallarum añ ℥ i. gũmi arabici, acaciæ, succini cornu cerui vsti añ ℥ ii. boli armenii ℈ ii. singula redigãtur in pollinẽ tenuissimũ, & lana rosaceo intincta excepta, in mulieris pudendum immittãtur. Porrò fluores alii vteri diuturni, rheumatismos vocãt Græci, qui interdum rubri, interdum albi, interdũ pallidi, sæpe etiam aquosi sunt, eodem ferè modo curãtur: nisi quòd in rubro fluore primum, si ætas & alia permiserint, ad sanguinis missionem vertimur. Nã & multa sequerẽtur incõmoda, si cõfestim sanguinis impetum localibus remediis reprimere conaremur: nempe hydrops, neruorũ aut oris vẽtriculi, vel capitis pathemata. Ablationem verò sicut in iis qui sanguinem excreãt, partiri oportet, vt paulatim prolixiori tẽpore auersio fiat. Secanda verò erit in cubito vena: dein iis quæ anteà cõmemorauimus, vtẽdum. Fluore autem albo infestãte in principio quidem resistendum non est, vt aliena è corpore excernãtur. neque præter rationem erit, si quod pituitam purgat medicamẽtum adhibeas. toti etiã corpori auxilia quæ citra manifestum calorem exiccant, admouenda, vt frictiones, vnctionésq; ex melle. superio-

Pessulus.

Curatio fluoris muliebris.

Rubri.

Albi.

rũ verò pręcipuè partiũ exercitationes, vt vocis, cõueniunt. medicaměta quoq; crassos & pituitosos humores extenuãtia, vrinãque ducentia, vt asarum, fœniculum, apium, & similia danda. vtero autẽ moderatè adstringentia applicanda, abstergentibus etiã vtendum, ne scilicet ab humore trãseunte vlcus inferatur. Aqua igitur calida iugiter sanies abluenda: dein rosaceum, aut myrthinũ, aut melinum oleũ, & alia quæ prædicta sunt, admouenda.

DE VTERI SVFFOCATIONE CAP. XLVII.

Suffocatio. Strangulatus seu suffocatio vteri, ad superiora eiusdem recursus est. Græcis ὑστερικὴ πνίξ dicitur. superiores ac principatum obtinentes partes in passionis consensum perducit, nempe carotidas, cor, cerebrique mẽbranas. Causæ. Fit ob retenta menstrua, cohibitum semen, vt copiosè Galenus lib. 6. de patiẽtibus locis cap. 5. ostendit. Hæc enim flatuosam quandã refrigerationem, vt inquit Aëtius, in vtero excitant, quæ subinde cordi & cerebro communicatur. contingit etiam refrigerato vtero, quo tempore menstruæ purgationes effluunt, vel ob difficilem quempiam obortum, vel vbi quis sanguinis eruptionẽ ab vtero repẽtè sistere properauerit. Accidit patiẽ- Signa. tibus, cum accessio propinqua est, torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, faciei pallor, aspectus mœstus. Quum verò iam

instat strangulatus, inclinatio ad somnum, desipientia, detentio instrumẽtorum sensus, vox obmutescit, cruráque contrahuntur, pulsúsque parui & debiles fiunt, sæpe & penitus abolentur. Cũ remittit, mox illæ rubescere incipiunt, oculi attolli & aperiri. Humiditas etiam quędã à locis muliebribus tactu perceptibilis excurrit, ac intestina immurmurant, ipséque vterus paulatim laxatur, atque sic ipsis mens, sensus, & motus redit. Cæterum passio iuxta circuitum mouetur, sicuti comitialis: ídque vtero, vt diximus, repleto, aut seminali, aut alia quæ in eo putrefit materia. Multæ rursus se à morbo recolligunt, nõnullæ verò in ipsis accessionibus subitò pereunt. id quod accidit, vbi pulsus crebriores & inordinati fiunt, ac subinde in totum abolẽtur. Postremò frigidus & modicus humor superficiẽ irrorat. porrò malũ hoc hyeme & autumno magis infestat iuniores, ad venerem procliues, steriles, pręsertim si vi medicamentorũ tales factæ fuerint. In accessionibus igitur extrema deligare oportet, cúmq; deligationibus crura tota, totũq; corpus perfricare & veluti animo deficiẽtes recuperare. Narib. fœtida admouẽda: verbi gratiâ, funiculus lucernæ extinctus, castoriũ, galbanũ, pix liquida, lanę lacinięq; cõbustæ, & alia eiusmodi. cucurbitulas quoq; inguinibus, & imo ventri cũ multa flamma & leues affigere conue-

Curatio. Quæ in accessione faciẽde.

nit. Quòd si accessio prolõgetur, etiam quæ flatibus educẽdis vtilia sunt, sedi supponere oportet. Hæc autẽ ex cap. de coli doloribus petenda veniunt. In vterum vnguẽta & olea odoratissima infundere oportet, vt est amaricinũ, & quod spicaceũ hodie appellatur, irinum & similia. Hęc etiã obstetrix digitis capiẽs, vsq; ad os vteri immittat, leniter ac multum defricans, vt eo irritamento crassus humor excernatur. Præter hæc omnia mulier maximis vocibus excitetur, propriúmq; nomen inclametur. Hoc tẽpore ea etiã sunt admouẽda, quæ sternutationes excitant: vt castoriũ, struthiũ (condisi barbari vocãt) & piper. Neq; inutile erit, si insessiones ex decòcto baccarum foliorúmq; lauri, pulegii, calaminthę, artemisiæ, marrubii, sabinæ, althæę, chamęmeli, serpilli, iridis, aristolochię, & fœnigręci parẽtur. Insessionũ tamẽ tẽpore cerebri curã non omittemus, sed rosaceo & aceto caput irrigabimus. vbi accessio quieuerit, ad vomitũ cogãtur. omnes enim vomitus leuat, sed eas præsertim quæ à cibo infestantur. In tertio die lumbis & iliis cucurbitulæ cũ scarificatiõe applicẽtur. A septimo die purgatione vtendũ ex hiera de colocynthide, aut cata potiis de agarico. Mox ad castorii potionẽ veniemus, quod iugiter potum ab hoc malo protinus liberat. dãdum autem singulis diebus ad drachmæ põdus, interdum cũ mulsa,

Quę post accessionem agẽda.

interdũ cum artemisię decocto, nunc cum vi no tenui. hoc etiam tempore insessionibus & pessis mollientibus ex adipe anserino, styrace, mastiche, amoniaco, & similibus cõfectis vti licebit. vterus etiam iis quæ calefaciendi, flatúmque educendi vim obtinent, suffiendus. vtẽdum autem hoc potissimum, qui ℞ pastillorum gallię & aliptæ moschatæ añ ʒ i s. styracis ʒ iii. gariophyllorum, maceris añ ʒ i. ligni aloës ℈ ii. cinamomi electi, foliorum lauri añ ʒ ii. ladani ʒ ii s. redactis singulis in pollinem subtilissimum cum stacte, quã storacem liquidum appellãt, fiunt trochisci. Cibo intereà & potu paucis admodùm contenta sit mulier, totáque victus ratio exiccatoria sit. atque hæc ad accessiones proficiunt. In totius verò corporis curatione, potissimũ si malum diuturnum fuerit, plerunq; à sanguinis missione, præcipuè si mẽstruæ purgationes detineantur, auspicandũ. deinde ad purgationem ex hiera picra transeundum. peracta euacuatione cucurbitulę leues quidem, sed cum multa flamma affigendę. Nec inutiliter sinapismi, & dropacismi, ex euphorbio pyrethro, pipere, & sinapi confecti applicantur. Non parum etiam recta victus ratio opitulabitur, nẽpe deambulationes matutinæ, gestationésque vel in curru, vel naui, vel iumento. A gestationis motu vociferatio, & lèctio clara, modulata, concinna vtilis est: vn-

Suffitus.

Victus.

Totius corporis curatio.

Victus.

ctio præterea, frictio, & exercitatio ex congruis interuallis repetita, eiſdem conueniet. balneum aquæ dulcis rariùs, & non niſi ſordium abſtergendarum gratiâ adhibendum. Balneis verò naturalib. vti, optimum eſt.

DE VTERI PROVIDENTIA. CAP. XLVIII.

Procidẽtia. Procidere vterum dicimus, quando ita euertitur, vt exteriùs emineat. neq; enim vterus, vt imperiti ſuſpicãtur, à ſuis ſolutus propaginibus totus decumbit. nã ſi ita procideret, reſtaurari minime poſſet. Sũt verò procidendi vteri cauſæ multæ.

Cauſæ. Ab alto enim delapſa mulier, ſi in coxas deciderit, membranis quæ vterum continent & vicinis partib. connectunt, ruptis, hoc malo corripitur. accidit etiã vt procidat vterus in difficili partu, propter ſecundæ extractionem, quam vterus illi adhæreſcens ſequitur. item ob inertem & imperitam fœtus extractionem, vel ictum, vel immenſi ponderis eleuationẽ, vel animi affectus, puta filiorum amiſsionem nũciatam, aut hoſtiũ acceſſum, vel ob periculoſam nauigationem, aut eiuſmodi aliquam cauſam, omni eo quod concretum eſt ſoluto, vtero etiã ſimul collapſo. Aut ob reſolutionẽ, aut partium (membranarum nimirum & muſculorum) imbecillitatem, vt in ſeneſcẽtibus maxime accidit. Procidit ſæpe ob humoris plurimi ac tenacis defluxũ, partúumq; frequen-

tiã laxatis ac ſolutis appẽdicib⁹.procidit verò potiſsimum ſecundũ os eius, & quod procidit ouo ſtruthiocameli ſimile eſt, maioris tãtũ & minoris ratione differens. Signa ſatis manifeſta ſunt, & cauſarũ diuerſitas facilè de ægrotãtis aut aſsidentiũ ſermonibus cognoſcetur. Quũ itaq; recẽs adhuc malum eſt, ſtudere oportet, vt vterus inſeratur, ac in ſuũ reponatur locum. In principio ſiquidẽ facile repoſitioni paret, & rectè locat⁹ perſeuerat, pręcipuè ſi ętas conuenerit. nã in prouectioribus vterus quidẽ reponitur, ſed rurſus qualibet leui cauſa relabitur. Cõuenit igitur, duris ſtercoribus primùm euacuatis, vrinâq; in veſica collecta excreta, quo vter⁹ vndiquaq; ſit liber, & neq; ab inteſtino recto neq; à veſica cõprimatur, ægrã ſupinã figurare, vt coxas habeat ſublimiores, poplites flexos, cruribus inuicẽ dilatatis ac diuaricatis. deinde prolapſam vteri partẽ oleo tepido, vel butyro, vel maluæ, althęæ, fœnigræci, ſeminis lini, aut ſimiliũ decocto fouẽtes, conuolutam lanã pręparabimus, figura & craſsitudine ſinui muliebri proportionalem, tenui & puro linteo exteriùs circundatam: ac deinceps in ſuccum acaciæ, vel hypociſtidis vino dilutis merſam vtero inſeremus, & citra violentiam ac ſenſim totũ quod procidit ſurſũ torquebimus, quoad integer in ſinu tumor excitetur, & vter⁹ in propriũ reponatur locũ. Extrinſe-

Signa.

Curatio.

cùs autem pubem ſpongia in poſca expreſſa operiemus. mulier iacebit extẽſis adaptatíſque inuicem cruribus, vt alterum alteri incũbat. tutius tamen erit, pedes ſimul vinciri, faſciã vſque ad genua deducendo. Deinde cucurbitę cum flamma copioſiore, vmbilico & vtriſque ilibus affigendæ. Naribus odorata iugiter admouenda. Tertio die lana adhuc in ſinu perſiſtẽte, mulier in vino nigro auſtero modicè tepido, aut in decocto myrthi, rubi, malicorii, & ſimilium inſidebit. his peractis ſurſus ſupina, accliuib⁹ coxis, locabitur: ſublatáq; è ſinu priori lana, altera in vicem prioris eodem medicamento madefacta imponitur. Cataplaſmata & emplaſtra à foris imo ventri imponãtur ex palmulis, polẽtia, malicorio, lenticula, & ſimilibus. Cerata etiã ex maſtiche, ligno aloës, ladano, thure, iũco odorato, acoro, nuce moſchata, gummi arabico, tragacantha, & eiuſmodi medicamẽtis parata cõueniũt. ſingulis verò tribus diebus hæc vſque ad perfectam curationem permutentur. Toto etiam curationis tẽpore mulier motum, & ea quæ ſternutamenta excitant, euitet. vt autẽ naribus odoratiſsima ſunt adhibenda, ſic vterus ab infernis fœtidis rebus

Victus. ſuffiendus eſt. Cibi boni ſucci, & vina odorata offerenda, venter quoque leniendus. ne ſi cũ difficultate ſit egerẽdũ, ſimul vterus procidat. obſeruandum tamen, ne nimium ven-

ter ſubducatur, exoluitur enim, relaxantúrq; propinquę partes, & vteri loca procidũt. Porrò ſi pars prolapſa diuturnitate tẽporis propter incuriã putruerit, ob aſsiduámq; vrinæ irrigationẽ & ſordẽ inhærentem exulcerata fuerit, amputandũ aut inurẽdũ quod inutile fuerit, nullius metu periculi, erit. cõſtat enim totũ vterũ putrefactum quandóq; amputatũ & ablatum fuiſſe, ac mulierem ſuperuixiſſe.

DE MOLA. CAP. LIX.

Myle, hoc eſt mola, induratus eſt tumor, interim in vuluæ oſtiolo, interim in toto vtero ipſo prominẽs, ad tactum ferè lapidoſus. vel vt Galenus lib. 14. Ther. meth. definit, eſt caro informis. nomẽ à motus difficultate & grauitate aſſumpſit, quam ſentiũt quæ malo hoc afficiuntur mulieres. Fit à ſeminis mulie- bris, & plurimi ſanguinis menſtrui in vtero retentione & affluxu, quem calor immodicus cogit, ac in carnis forma tranſmutat. Cõſequitur hoc malum tumor durus cum hypochondriorum contractione, corporis gracilitate, decoloratione, appetentiæ deiectione, menſiúmque ſuppreſsione. item mammillæ intumeſcunt, vt cõceptionis quibuſdam per initia ſuſpicio ſuboriatur. Tẽporis verò progreſſu diſcernuntur. molam enim pũctionis ſenſum inferens dolor ſubſequitur, nec in ea motus vllus, ſicut in cõceptione, percipitur. Nonnullæ verò præbent aquæ inter cutem

μύλη. Cauſæ. Signa.

ſuſpicionem: à qua tamẽ diſtinguitur, quòd tumor durus ſit, nec ſicut in hydrope manus aut digitorum impulſui cedat, aut tympani modo ſonum edat. Nonnunquam tamẽ tempore procedẽte iecur refrigeratur, & hydrops ſuperuenit.

Victus. Primùm omniũ alimenta boni ſucci offerenda, àc vini potioni vtẽdum moderata. mulier motu non vtatur vehemẽti, is enim fluxionem commouet: ſed geſtationibus & deambulationibus, pedes etiã decunbẽdo elatiores habeat.

Curatio. Quòd verò ad curãdi rationẽ attinet, principio in plenitudine vena cubiti incidenda, ac ſubinde purgatione per catapotia fœtida vtendũ. corpore vacuato cataplaſmata, fomenta, inſeſsiones, peſsi, vnguẽta & cerata quę relaxandi vires habẽt, adhibẽda: qualia ſunt quæ ex althæa, malua, chamæmelo, meliloto, fœnogræco, ſemine lini, & ſimilibus parantur. conueniet in hũc vſum vnguentum dialthææ, aut emplaſtrum de meliloto, diachylôn ſimplex admouere:

Vnguentum. vel hoc quod ℞. oleorum amygd. dulcium ℥ iii. liliacei ℥ ii s. pinguedinis anſeris, gallinæ añ ℥ i s. mucoſitatis ſeminis lini, fœnigræci añ ℥ i. amoniaci, bdellii añ ℥ ii. radicis althææ, ſeminum nigellæ, dauci añ ℈ ii. ceræ quod ſatis eſt. fiat vnguentum, gummi diſſolutis priùs in vino.

Peſsi. Peſsi quoque ſubiiciendi ex butyro, adipe porcino, medulla ceruina, paſſulis, caricis pinguibus, ſeminibus lini &

fœnigræci confecti. Post hæc quæ mẽses euocare possunt, propinanda medicamenta. in quem vsum præter ea quæ in cap. de Suppressis mensibus commemorauimus, conuenit hæc confectio, quæ ℞ specierum diacinamomi, diagalangæ, diacumini añ ℥ s. specierum diambræ ℈ i. dialaccæ ℈ s. cinamomi electi, hyperici, calami odorati, asari, radicis acori, seminis anisi añ ℈ i. seminis rutæ, zingiberis, artemisiæ, marrubii, dictamni, saluiæ añ ℈ s. sacchari ℥ vi. dissoluti in succis artemisiæ & hyperici, fiat confectio in morsulis. de quã quotidie dentur ʒ ii. aut ʒ iii. Proderit & hunc pessum subiicere, qui ℞ radicis asari, acori, rubeæ tinctorum añ ʒ ii. seminum rutæ, nigellæ añ ʒ s. maioranæ, nucis myristicæ, gariophyllorum, baccarum lauri añ ʒ i. sabinæ ℈ i. castorei, euphorbii, añ ℈ s. Redigantur singula in puluerem, & cũ terebinthina resina formentur pessi. Mirificè etiam cõfert vti balneis naturalibus, potissimùm si malum diuturnum fuerit. cõfectio. Pessus.

DE INFAMMATIONE VTERI. CAP. L.

Vterus plurimis de causis inflammatur, nempe ex ictu, mensium retentione, abortu, vlceratione, concubitu metas rationis excedente, sellæ nimis duræ insessione, longissima intentissimáque deambulatione, sæpe & transpiratione ob frigus prohibita. Causæ.

Signa. Hanc monstrant vteri, pubis & lumborũ dolores, febris acuta, dolor capitis & radicis oculorum, brachialis, digitorum & colli cõuulsio, & in aduersum declinatio, stomachi ex consortio dolor, oris vuluæ conniuentia, pulsus exigui crebríque. Si lãguida fuerit inflammatio, haud valido vteri dolore afficiũtur. Sin vehemens, & ipse totus pulsatilẽ dolorem percipit. Vniuerso sanè inflãmatione laborãte, vndiquaq;: parte aũt eius inflãmatiõe obsessa, in ea dolor magis intẽditur. Nã si posteriora ipsius solùm laborẽt inflammatione, dolor lũbos magis vexabit: durúmq; stercus detinetur, quoniam intestinum rectũ comprimitur. Si priora, dolor pubem occupat, & vrinę stillicidium, aut difficultas, vesicâ pressâ, excitatur. Lateribus autem inflammatione correptis, inguina tendũtur, & crura grauantur. Posteriore verò vteri parte inflammata, in vmbilico dolor potissimum cũ tumore infestat. Quum autem os vteri inflãmatio affigit, in abdomine dolor est, digitóq; immisso os occurrit durum rigidúmque.

Curatio. venæ sectio. In principio itaque curationem aggresi, si neq̃ue ætas, neq; habitus corporis, neq; anni tempus obstiterit, neq; inflammatio post abortum, aut immensam sanguinis euacuationem superuenerit, venam poplitis secabimus ex Galeni decreto, qui in lib. de curandi ratione per venæ sectionem inflãmatio-

nẽ vteri à venis in crure sectis iuuari scribit. AEgram in domicilio obscuro, & moderatè tepido collocabimus, quietem imperantes, ac crura eius ab omni motione prohibẽtes. deinde artus & extrema perfricabimus. In cibo, qui quantitate modicus sit, vtatur ægra ptisanæ cremore, & ouis sorbilibus. Potus sit decoctũ cinamomi aut hordei. Extrinsecùs lana ex oxyrhodino madefacta, pubi & lumbis imponatur. Palmulæ etiam, aut mala cotonea, in vino decocta, & rosaceo admixta, applicanda. cataplasmata quoque ex farina seminis fœnigræci, lini, meliloto, plãtagine, lentibus polygoni, portulaca, sedo, & similibus cõfecta adhibenda. idque potissimum si erysipelatis naturam inflammatio sortita sit. Lana cũ rosaceo aut melino oleo, aut succo portulacæ aut sedi madefacta, in signum vteri immittenda. At vbi inflammatio declinare cœperit, ad ea veniemus, quæ quadantenus remittendi discutiendíque vires habeant. AEgrotam igitur in fœnigræci, althææ, se. lini, maluæ, interdũ artemisiæ, marrubii, & saluiæ decocto vsque ad lumbos sedere iubebimus. Pubi etiam & lumbis hordeaceam farinam cum fœnogræco & semine lini in mulsa elixatam, aut caricarum decoctum illinemus. Pessi quoque subiiciendi ex butyro, medulla ceruina, adipe anserino, gallinæ, & similibus confecti. Reliqua denique, Pessi.

quibus emolliendi facultas ineſt, adhibēda: de quibus iam ſæpe dictum eſt.

DE STERILITATE REMOVENDA. CAP. LI.

Sterilitas aut viri, aut mulieris ratione accidit. A viro eſt, cum ſemen eius vel feruidum, & veluti torrefactum: vel frigidum, tenue, aquoſum, languidum, quale decrepitorum eſt: vel craſsius quàm oportet emittitur vel quòd viri ſemiſpadones ſint, penémque breuiſsimum habeant, vt in vuluæ receſſum ſemen iaculari nequeant. Quod etiam interdum nimia obœſitate contingit. obœſi enim tam ventricoſi euadunt, vt ſemen ad profundiores vteri partes iaculari non poſſint. Mulier verò ſua ipſius ratione non concipit, ꝙ vterum habeat vel calidum & igneum, vel frigidum & humidū, vel ſqualentem & aridum. Nam vt Hipp. ait, Quæcunq; frigidos & denſos vteros habent, non concipiunt. & quæcunque præhumidos obtinēt vteros, nō concipiunt: extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque ſiccos magis & torrefactos nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemē. Cæterùm craſſæ admodùm & obœſæ, haud concipiunt, quod item etiam Hippoc. iis teſtatur verbis, Quæcunque præter naturam non concipiunt vtero, iis omentum os vteri comprimit, & priuſquam extenuentur, non concipiunt. Graciles denique & macilentæ

Cauſæ.

5. Aph. 62.

5. aph. 46.

nō concipiunt: aut si concipiūt, statim abor- "
tiūt, eodē Hippocrate teste, qui sic scriptum " 5. Aph.
reliquit, Quæcunque præter naturam tenues 44.
existentes vtero gerūt, abortiunt priusquam
crassescant. Quędam etiam non concipiūt, "
eo quòd vterus earum debilis est, vel angu- "
stus, vel breuis, aut quòd vasa eius obstructa
clausáque sint, aut cicatricis superuentu ex-
cæcata, aut quòd vteri ceruix in obliquū du-
catur, aut quòd os eius vel nimis angustum,
vel nimis amplum sit. Signa quibus diuer- Signa.
sitas causarum discernitur, hæc sunt: calidius
siquidem temperamentum viri facilè depre-
henditur ex pilorum copia, potissimum ve-
rò nigrorum in partibus genitalibus, & o-
mnibus quæ circūstant, suprà quidem vsque
ad media femora. Petulca etiam est hæc tem
peratura, & ad libidinem etiam prona: sta-
tim verò satiatur. Frigidius temperamētum
monstrāt partes circūpositæ testibus glabrę.
Neque etiam hoc temperamento præditi ad
libidinem proni sunt. Vteri verò caliditas
ex reliqui corporis caliditate cognoscitur,
quódq; pauca menstrua, & cum dolore dese
runtur, vt genitalia interdum mulieris exul-
cerentur. sed & quæ educūtur, nigriora sunt.
Hác etiam temperaturam insignis salacitas,
& totius corporis siccitas sequitur. Frigidio-
rem vteri temperaturā mōstrat menstruorū
suppresio, stupor in pube, lumbis & cruri-

bus obortus. veneris etiam vsum aspernãtur, & os vteri contractum habent, hoc tempera mento prædítæ. Humiditatis verò vitio fœcunditatem frustrari indicat, si in coitu humore admodũ perfunduntur, & si iis fuerint tenuia copiosáque menstrua. Siccitas vteri contrariis planè deprehenditur notis. Cõmuniter quidem ambobus congruit, & viro & mulieri, vniuersum corpus cõseruare probè temperatum, laboris, cibi, balnei, & reliquorum omnium mediocritate. Viri igitur, qui ob deprauatam viuendi rationem semen corrũpunt, ad magis compositum salubriorémque victum conuersi, genituræ fœcunditatem acquirunt. Mulier autem neque ingenti labore defatigetur, neq; prorsus ociosa sit. hoc enim superuacuis excrementis molẽ corporis replet: illud sanguinem deficcat, & purgationes absumit. Potu & cibo concoctu facilibus vtatur, & quos ventriculus probè suscipiat, atque conficiat. Illud verò potissimùm circa rectam viuendi rationem est obseruandum, vt nec vir, nec mulier obœsi reddantur. Qui enim tales fuerint, liberis procreandis inepti sunt, eo quod genitalib⁹ mutuò se cõtingere nõ possunt, & paucum semen emittãt.

Curatio communis.

Porrò conuenit etiã, vt iis qui liberis procreandis operam dare cupiunt, quædam cõsueta, esúq; aut potu grata ante cibũ offerantur, quæ veneri excitãdæ & semini generan-

do aptiſsima ſint: qualia exiſtunt quæ calefa ciunt, & moderatè inflant. vinum itaque in hunc vſum modicè ſumptum, aquæ præfertur. Sine enī Cerere & Baccho (vt ille ait) friget venus. Ex oleribus vtendum eruca, horminio, eriſyno, & aliis quæ in cap. de iis qui re venerea vti non poſſunt, commemorauimus. Ruta, calamintha & mentha omnino vitanda. calamintha enim & mētha etſi plurimum ſemen, imbecillum tamen & languidum gignunt, ruta verò prorſus corrumpit. Cæterùm ſi mulier vitio quodam humorum non cōcipiat, eas purgante medicamento va cuare, & proba victus ratione emendare expedit. Priuatim verò mulieribus conueniet, curam eorum quæ ſunt circa vterum, quàm fieri poteſt maximam habere, & vt iis menſes ſine omni impedimento promanent. Quum igitur propinqua eſt per menſes pur gatio, cibi potùsque quantū fieri poteſt, mediocritatem curę habebunt, & quippiam ex iis quæ purgationē irritare ac ſtimulare poſſunt, aſſument: quorum copiam ex cap. 45. huius Libri petes. A purgatione menſtrua, optimum ac opportuniſsimum concipiendi tempus eſt. Quoniā (vt Hippocrates inquit) poſt menſtruam purgationem iam dextra, iam verò ſiniſtra vteri pars aperta eſt. Porrò vteri intemperiem frigidā per fomenta, ſuffitus, & alia quibus calefaciēdi vis ineſt, cor-

Curatio mulieris.

6. Epid. Par. 7. Aph. 24.

Curatio frigidæ

intempe riei vteri. rigere oportet, vt ſunt quæ ex artemiſia, pulegio, ſaluia, ruta, aniſo, cumino, acoro, & ſimilibus parantur. caſtorium etiã bibere proderit, & alia adhibere quæ in cap. de Menſibus ſuppreſsis dicta ſunt.

Curatio calidioris intemperiei. Calidiorem verò vteri intemperiem per ea quæ refrigerant & humectant emendabimus: cuiuſmodi ſunt olera quidem, lactuca, malua, cucurbita, portulaca, atriplex, aliíque cibi ſimiles. vinum album & dilutum, ſomnus, & dulcium aquarum balnea. Lumbis etiam ac pubi refrigerantia adhibenda ſunt: vt ſolani ſuccus roſaceo admixtus, qui etiam lana exceptus in vteri ſinum vtiliter imponetur.

Humidioris. Quæ ob vteri humiditatem non concipiunt, aridioribus alimentis vti oportet, plurimum exerceri, ac in ſuperioribus perfricari, & euacuationis auerſionísq; gratiâ interdum pranſas, interdũ ieiunas euomere, & cibi parſimonia deſiccari, carnésque potius toſtas vigentium ętate animalium comedere, vinúmque potẽs meraciúsq;, ſed parcius bibere. Arida prętereà fomenta crebro adhibenda. Profuerit & vuluæ adſtringentia apponere: qualia ſunt, roſarum, foliorum rubi, gallarum, rhois obſoniorum, myrthi, polygoni, malicorii, & ſimilium decocta. Id autem niſi totum corpus anteà purgatum ſit, faciẽdum haud erit.

Siccioris. Sicciorem vterum contrariis curare oportet, balneis aquarum dulciũ, inunctione & alimen-

ris humectantibus, vino diluto, non nimis veteri. Quòd si à crassioribus humoribus cõcipere mulier impediatur, si quidẽ rodentes fuerint, mulierem probè purgare conuenit hiera picra, aut sero lactis: & victu exquisitiori, cibísque boni succi vtendum. Pituitosos verò humores laboribus plurimis, sudoribus, vomitu, vel per inferna purgatiõe absumere oportet, aliáq; omnia quæ in cap. de Suppressis mensibus commemorata sunt. Iã verò flatus quoque vteri conceptionem impediunt. quibus primò cibi parcitate medebimur: dein iis quæ flatus discutiunt, vt est cuminum, ruta, anethum, apii semen, & similia, quæ sæpe iam commemorata sunt: eáque partim potanda, partim extrinsecùs adhibẽda sunt. Clausum vterum aperiemus iniectis clysteribus odoriferis, fomentísque & insessionib⁹ ex fœnogræco, semine lini, malua, & id genus aliis. Posteà ad validiora pergemus, vt artemisiam, calamintham, pulegium, & maioranam. Quibus os vteri nimiũ hiat, iis victus aridus, fomenta sicciora, medicamenta adstringentia, qualia in curatione humidioris intemperiei dicta sunt, conueniunt. Peruersiones vteri mollientibus fomentis dirigemus: id enim fomenta maximè possunt. Sed & mollientes pessuli vtiliter supponẽtur. Castorium etiam è posca bibitum, vtero auerso conferre solet. Quæ hic

Curatio humorũ.

Curatio flatuum.

Curatio clausi vteri.

Curatio aperti vteri.

Curatio peruersionis.

desiderātur, ex aliis petēdum capitibus erit. nos enim hîc capita tantum rerum perstringere volumus.

DE DIFFICILI PARTV.

CAP. LII.

Causæ. Difficilis partus, aut vitio parientis, aut fœtus, aut secundarum, aut extrinsecùs aduenientium accidit. Parturiētis quidem, si crassa obœsáque fit, aut animo pusillo & dolorum inexperta, aut vterus totus exiguus, aut inflammationem vteri, aut alterius partis habeat, aut alio quouis morbo laboret: aut naturaliter imbecillis sit, vt fœtum propellere nequeat: aut ante tempus pariat. Itē si os ceruicis vteri obliquum fuerit, aut eidē caro aliqua ob vlcus quod præcessit adnata sit. At fœtus vitio, si vel inusitatæ magnitudinis existat, vel exiguus, & modicę grauitatis, vel magni capitis, vel monstrosus: verbi causâ, biceps: vel mortuus, qui nihil opis parturienti præstet, aut intumescat: vel viuus quidē, sed imbecillis, vt forâs non posit progredi. vel si gemini vel plures fuerint, & repēte omnes simul colo vteri impingantur. vel si figuram naturæ contrariam obtineat. Naturalis siquidem figura fœtus prodeuntis est, prima quidem in caput, manibus super femoribus porrectis & extensis, & caput in neutrā partem declinās, sed rectà ad os vteri dirigēs. proxima huic, vbi in pedes manibus super vtroq;

Naturalis situs fœtus ꝓdeūtis.

femore extenſis rectà defertur. Aliæ omnès præter has duas, à natura abhorrent. vt ſi caput in dextrã aut ſiniſtram vteri partẽ inclinit: vel ſi altera, aut vtraque manus exeritur, cruráque interiùs à ſe inuicẽ diducuntur: aut ſi fœtus altero pede prodit, altero interiùs retẽto: aut ſi duplicatus alicui vteri parti innititur. Ob ſecũdas, partes redditur difficilis, ſi aut non auellatur ob craſsitiem, aut priuſquã opus ſit propter tenuitatem abrumpatur. humore ſiquidẽ qui in vtero collectus fuit, vacuato, infans præ ſiccitate ægrè elabitur. Ab externis etiã cauſis difficultas oritur pariendi. aut frigore, quod vterum dẽſat, & meatus anguſtiores reddit: aut calore immodico, q vires diſſoluit. Cauſę externæ ex pariẽtis & aſsiſtentiũ ſermonibus cognoſcũtur. Debilitas quoq; parientis, veluti etiam pinguedo, ex habitu corporis deprehẽditur. Ex morbis etiam præcedentibus facilè in imbecillitatis cognitionẽ veniemus. Fœtus imbecillitas ex debili ac tarda motione cognoſcitur. qui ſi mortuus fuerit, à motu prorſus ceſſat, ventris frigiditas adeſt, atque dolor iuxta vmbilicũ grauis, ſpirit⁹ exhalatur fœtidus, faciei color prauus. Magnitudo fœtus ex parentũ corporis cõſtitutione, ac ventris parientis mole cõiicitur. Craſsities ſecũdę inde colligi poteſt, quòd prædictorum ſignorũ nullum adſit, & parturiens robuſta, faciliſque fœtus motus

Signa.

Curatio fit. Cęterũ obœsam mulierẽ in lectulo pronã, hoc est in caput propendentẽ, & vultu in terrã deiecto figurare oportet, flectentẽ inclinãtémve genua ad femora, quò vter⁹ ad abdomẽ tendẽs, è directo oris fit. Digitis verò pinguedinib⁹, verbi gratiâ butyro, oleo, axũgia anatis, gallinę, & similiũ delinire os oportet, & sensim dilatare. Timidã verò hortari conuenit, inexpertem dolorũ partus admonere expedit, vt validissimè spiritũ cõprimat ac cõtineat, & ad ilia validiore conatu protrudat. Si autẽ ex adstrictione, fœtúsq; veluti coarctatione pariendi oriatur difficultas, laxatione opitulandũ, infundẽdo largiter oleũ dulce & calidũ. item decoctũ fœnigræci, aut maluæ, aut seminis lini, aut etiã oua, quę lenienđi facultate prædita sint. Deinde & pubẽ cũ abdomine & lumbis prædicto decocto, aut alio relaxãte medicamento fouere oportet. Proderit etiã insessionibus ex cõmemoratis rebus paratis vti. Insuper laxationes balneis aquarũ dulciũ moliri oportet, nisi febris, aut alia quædam occasio impedierit: mouerétq; parientem gestatione in sella, in aëre mediocriter calido. Quòd si inflammatio, aut aliùs quispiam morbus vterum infestauerit, huic etiam ex propriis capitibus succurrẽdum, ac prospiciendũ erit. Imbecilla cum iis quę reficiunt, & robur addũt cibis & potibus refocillãda. Vbi infans præmagnus fuerit, ea adhi-

bēda quæ dilatare & laxare os vteri poſſunt. Si verò prę̨ter naturam figuratus fuerit, naturalem reddere figuram decet, partim pellendo, partim adducendo, partim flectẽdo, partim in rectum agẽdo. Et ſi manum pedémve præmiſerit, non attrahere membro præhenſum oportet (magis enim firmatur ac impingitur, vel luxatur, vel abrumpitur) ſed digitis humero vel coxæ fœtꝰ innixis, rurſꝰ id quod prominet, in cõuenientem locum diducere. Porrò ſi cum oris vteri compreſsione totius infantis indecora fuerit figura, ſurſum prius ipſum ab vteri ore ſublimẽ detrudere conſiliũ eſt: deinde prehenſum iterum ad os dirigere. Si autem gemini aut terni, pluréſve fuerint, ac ceruicem vteri obſederint, reliquos propellere ad fundũ vteri oportet, & eũ qui magis paratus videbitur, prius educere. verùm ſi nõ procedat, ꝙ infans mortuus ſit, aut caput nimis magnũ, vel aliam ob cauſam, ad fœtus extractionem ſeu ſectionem, quã Gręci Embryoelciam appellãt, veniẽdũ eſt. Eam autem copioſiſsimè Aëtius lib. 16. cap. 23. & Paulus lib. 6. cap. 74. tradunt. Porrò ſi fœtus tunica, ſeu ſecunda craſsior fuerit, ac ſolidior quàm vt rumpi poſsit, diſsecanda erit. Quibus autem humor in tunicis contentus, ante congruũ tempus effluxerit, ita vt loca exaruerint, ouorũ albuminibus cum maluæ aut fœnigręci decocto excolato, aut ptiſanę cre-

ἐμβρυο-ελκία.

Puluis optimus ad difficultatem partus.

Secundæ eductio.

more tepido perfundemus. Medicamentũ verò quod in vniuersũ omnes difficulter parientes iuuat, est hoc, quod ℞ cinamomi electi ʒ ii. myrrhę, casię ligneę vocatę ana ℈ i. succini albi ʒ i s. misce, fiat puluis, de quo in potu vini odoriferi detur drachma vna. Porrò fœtu excusso frequenter accidit, vt secũda in vtero firmiter adhęrescat: quod vbi euenit, tũ interdum os vteri apertum, interdũ clausum reperitur, secũdináque ipsa nonnunquã vteri fundo adhuc cõiuncta, nonnunquã seiuncta est. Si itaq; os vteri diductũ fuerit, & secũda quę inibi relicta est, alicui parti vteri orbiculatim ac pilæ modo cõuoluta inhæserit, facilè educitur. manu siquidem sinistra calida, pinguíque illita in fundũ demissa, secũdam sublabẽtem extrahere oportet. Si autẽ fundo vteri sit cõnexa, demissa simili modo manu calida, & pingui inuncta apprehẽsam secundam trahemus; non tamen in rectũ, vt vterus procidat: neque violẽter admodũ, sed leniter ac placide primũ in obliquũ diducemus, huc atque illuc circumagẽtes: deinde paulò validius attrahemus. hoc enim pacto obsequuntur, & à connexu soluũtur. Quòd si vuluę os clausum fuerit, perfusionib. vtemur, & sinistræ manus digitis leniter aperire & paulatĩ dilatare conabimur. Quod si non successerit, mulieris pubi fomenta, perfusiones, vnguentáq; emollientia & relaxantia adhibere con-

uenit. Si robusta fuerit, eo tẽpore etiã sternu taméta ex castorio, pipere, & similib. cõfecta narib. admouẽda sunt. Hinc est quòd Hippocrates. 5. aph. 49. sic scriptũ reliquerit: vt secũda procidat, sternutatoria apponito, & na „ res apprehendito & os. Potiones deniq; ali- „ quæ earũ quæ menses prouocant propinandæ. Quæ quidẽ omnia primo, aut altero die peragẽda sunt. prętereà suffitu vtendũ, decoctis in olla artemisia, iride, sabina, pulegio, calamintha, & similibus, olla sellæ supposita, cui mulier vestimẽtis vndiquaq; circũsepta insidcat. Posteà si os vteri apertũ ĩuenerim⁹, manu inserta, secũdã, vt diximus, extrahere conabimur. At si nõ obediat, dilaceranda nõ est. haud multis enim postea dieb⁹ putrefacta, & in saniem soluta excidet. Quia verò grauitate odoris & caput replet, & stomachum euertit, odoramenta iugiter suffienda sunt, quę possint his malis aduersari, & secũdam subducere. Ad quos vsus excellũt cardamomum, bdellium cum sabina, thus, styrax, ladanũ, lignum aloẽs, & huiusmodi iisdem etiam, ea quæ menses ducunt, propinanda.

DE ISCHIADICIS. CAP. LIII.

Ischiadici, hoc est coxendicũ dolore affecti, propriè dicuntur, quibus dolor circa iuncturam (quam Græci ἰσχίον, Latini coxã vocant) accidit. Fit ob crassum pituitosúmq; humorem, qui in coxarũ articulo cõcretus insi- Ischiadici. Causa.

det.Ideóq; hoc malum aſsiduę cruditates,&
immodicus rei venereę vſus,aliquãdo etiam
deambulationes cõcitatiores, & hęmorrhoi
des ſuppreſſæ,& vomẽdi cõſuetudo intermiſ
ſa,& purgationes mẽſtruæ,aut etiã alię fami
Signa. liares excretiones impeditę,& exercitiorum
neglectus conciliant. Antecedit autẽ,& qua-
ſi auſpicatur hoc vitium aliquãdo quidẽ vi-
cinorũ muſculorũ dolor,& maximè lumbo-
rũ:aliquãdo verò ab ipſa coxa initiũ fit. Iam
verò quandoq; etiã contingit,vt coxæ dolo-
re ſublato,circa poplitem ſolum afflictio hę
reat:aliis autẽ iuxta talũ,quibuſdã verò totũ
Curatio. crus æqualiter dolore afficitur. Multis item
dolor circa inguina figitur. Initiũ igitur cu-
rationis fiat ab affligentis humoris euacua-
tione.Et ſi quidẽ humoribus ex æquo redun
darit corpus,præ omnibꝰ vena ſecãda in po-
plite aut talo interna,aut etiã cubito,Galeno
lib.10.de cõpo.med.ſecundũ locos.cap.2.te-
ſte:idq; in latere affecto.Sin à pituitoſo atq;
craſſo humore malũ oritur,à purgatione eiꝰ
humoris auſpicanda curatio.In quẽ ſanè vſũ
clyſteres crebri exhibendi erũt,iñ hũc vel ſi-
clyſter. milẽ modũ parati. ℞ centaurii minoris, ſal-
uiæ, verbaſculi odorati,rutæ, iuæ arthriticæ
hodie officinis dictę,añ ℳ i.radicis acori ℥ i.
ſtœchadis ʒ iii.ſe. aniſi, ſe.fœniculi añ ʒ ii s.
agarici optimi ʒ ii.polypodii ʒ v.decoquan-
tur in aquã iuſtę quãtitatis,donec tertia pars

ābſumpta fuerit: dein ℞ cōlaturę ℥ xiii. hierę picræ ℥ s. eclegmatis indi ʒ i s. oleorū liliorū alborū ℥ ii. rutacei ℥ i. vitellos ouorū numero ii. ſalis ʒ i s. miſce, fiat enema. Auxiliātur etiā vomitus iſchiadicis, atq; magis vtiq; q̄ euacuationes infernè per ventrē, vt qui reuellāt deorſum repentè humorē. Faciēdi itaq; ſunt vomit⁹ in principio ab accepto cibo, poſtea verò etiā per vomitoria medicamēta, initio facto à mediocribus. In quib⁹ autē vehemēs humorū coactio denſatione, quæ ęgrè diſſolui poteſt, à medicis intēpeſtiuè acribus pharmacis vtentibus facta eſt, his cucurbitula q̄ maxima cū ſcarificatione affixa auxiliatur. Cæterùm medicamentis fluxū reprimentibus in coxēdicū dolore nō vtemur. Quū in profundo coxa ſita ſit, ſanguis ex vicinis & ambiētibus venis ac muſculis ad illā impellitur. Mitigatoriis igitur in principio medicamētis opus eſt in hoc dolore, quæ neq; refrigerent multū, neque fortiter calefaciāt. vt enim ea quæ refrigerant, ad coxā impellūt: ſic quæ vehemēter calefaciunt, aliā amplius materiā ex adiacentibus partibus attrahūt. Porrò poſt venæ ſectionē, aut per purgantia medicamēta vacuationē, ad acria medicamēta, non antè veniēdum eſt. Si enim quis prius quàm corpus euacuet, acria medicamēta ad patientem particulam adhibeat, ægrè curabile malum reddet, vtpote multitudine

vomitus.

cucurbitæ.

Adſtringentibus medicamētis nō vtendū.

Acria quando adhibenda.

ibidem indissolubiliter cõdẽsata. præter alia enim crassa & viscosa fit, & ob acrium medicamentorum caliditatem & siccitatẽ non dissimile quippiam assationi perpetitur. Patientẽ igitur locũ primũ ex oleo rutaceo irrigare oportet. postea verò efficaciora admouenda medicamenta, quæ scilicet sensim calefaciãt, & materias ex alto ad superficiem attrahere possint: qualia sunt, oleum vulpinum, de piperibus, costinum, vnguentum arragon, marciatõ, saluia, ruta, folia lauri, sambuci, radix ebuli, pulegium, sabina, opopanax, bdelliũ, ammoniacum, & similia: ex quib. fomenta, vnguenta, emplastra & cerata componi possunt. Quare primum spõgia in decocto iuniperi, aut saluię, aut foliorũ sambuci madefacta, loco patienti iterum atque iterũ imposita, hoc vnguento subinde vtẽdum erit, quod

vnguentum. ℞ vnguẽti marciatõn ʒ iii. oleorum irini, liliacei añ ℥ s. succi rutę, succi iuæ hodie nominatę añ ʒ ii. mellis ʒ i s. saluię, pulegii, piperis añ ʒ s. pyrethri, staphysagrię añ ℈ i. cerę quod satis est. fiat vnguẽtum. Proderit etiam huius

Ceratum cerati vs⁹, quod ℞ oleorũ costini, vulpini añ ℥ i s. olei de piperib. ℥ s. opopanacis, bdellii, styracis añ ʒ iii. radicis bryoniæ, nitri, foliorum sambuci añ ʒ ii. aristolochiæ, (quam rotundã hodie nominãt) rutæ añ ʒ i s. euphorbii ℈ i. gummi dissoluantur in acerrimo aceto, & cũ cera & terebĩthina resina quod satis

est. fiat ceratum. quod si malnm adhuc remo retur, clysteribus denuo vtendũ erit, & posteà cucurbita quàm maxima cũ plurima flãma coxę affigẽda, vulnusculis etiã altioribus per scarificationẽ impactis. Quòd si verò neq; sic malũ finitur, ad purgationẽ, vomitũ, & alia quæ suprà dicta sunt, redeundũ est. His peractis, ad dropaces veteribus nominatos, & ad medicamẽtorũ adurẽtiũ vsum veniẽdũ. inter quæ nõ postremũ locũ obtinet, herbæ hiberidis radix recens, æstate effossa, & diligẽter tusa, ac veteri axũgia modica excepta, iuncturæ coxæ & vniuerso cruri imposita, & alligata. Sic verò admotam incũbere finito, mulierib⁹ quidẽ nõ infra duas horas, viris autem quatuor horarũ spatio, si possibile sit id perferre. Excitat enim tumores cũ ardore & rubore, veluti sinapism⁹ facere solet. Pòst in balneũ inducito ægrotãtẽ: in quo vbi modicũ exudauerit, in soliũ ob feruorẽ mordaci⁹ desidere iubeto, idq; fortiter perferre cogito (morsum enim cũ ardore in principio inferre cõsueuit) deinde educito. fermè enim semper, vt testatur Aëtius, quãuis ab aliis fuerint importati, sua spõte pedibus ingrediẽtes exibũt. A balneo ad oleũ multũ, paucũ admodũ vinũ admisceto, & cõquassata illinito: ac humore cũ aspero pãno deterso, crus ipsum cũ leuissimis lanis cooperito. Et sanè consueuit hoc ipsum præsidiũ nullo alio inde auxilio

Aduren-tia medi-camenta

indigere. Quòd si tamē aliquādo vestigium mali relinquatur, vicenis diebus interpositis rursus eodem pręsidio vtaris. interiectis autē diebus, ceratum suprà descriptū imponi potest. inter adurentia medicamenta hoc etiam locum obtinet non extremū, quòd ℞ Mellis anacardini, ferméti añ ℥ i. cātharidū abiectis alis ʒ ii. aceti quod satis est, misce. & hoc quod ℞ euphorbii, nitri añ ℈ ii. saponis, calcis viuæ añ ʒ i. mellis anacardini quod satis est vt ad mellis crassitudinem omnia cōmixta re-

victus. deāt. Cæterū quod ad victus rationē attinet, cibus sit mediocriter tenuis, & cōcoctu facilis. exercitia perficiātur deambulationibus, cōtinuis flexionibus, saltationibus & cursu. Aluū etiā semper probè solutam habere expedit. Quòd si verò vitium longiùs durauerit, vstionē in tribus aut quatuor locis adhibere oportet, vt docet Paulus lib. 6. cap. 76.

DE PODAGRA ET ARTHRITIDE. CAP. LIIII.

Podagra & arthritis mala eiusdē sunt speciei. Differunt itaq; nō toto genere, sed locis patiētibus. In vtroq; enim, articulorū est imbecillitas, & humor à natura alienus ad hos ipsos cōfluens. Quapropter si in pedibus cō-

Podagra stiterit hęc fluxio, podagra appellatur: Si ve-

ἀρθρῖτις rò reliquos artus occupauerit, Arthritis, id

causæ. est articularis morbus nominatur. Generāt autem hoc malū cruditates, immodicus rei ve-

nereæ vsus, vehemens & cõcitatior deambulatio, stationes diutius productæ, equitatus creber, familiares excretiones suppressæ, & cõsuetorum exercitiorũ intermissiones. mœrores autẽ, curę, vigiliæ, & reliquæ animi affectiones hoc malũ suscitãt. Nõnunq̃ etiam colicus dolor perperã curatus causa est, cur arthritis sequatur: quẽadmodum testãtur ea quæ lib. vi. Epid. par. 4. aph. 3. scribit Hippo-
" crates, inquiẽs: cuidam intestinum colõ, vbi
" articulari morbo corripiebatur, dolore ferè
" vacabat. Postq̃ verò ab eo sanatus est morbo plus doluit. vt plurimũ verò aptitudines ad hoc malum à parentib. in filios ac posteros transferuntur. Sed humor superãs, qui iũcturis sese inserit, vel sanguine⁹, vel biliosus est, vel pituitosus, vel melãcholicus. interdũ etiã ex humorũ cõmistione malũ cõtrahitur. Humorũ autem discrimina iis deprehẽdi notis possunt. Sanguineus siquidem humor si multus fuerit, plenitudinem efficit, & tumorem ingentem, non venarũ modò, sed totius partis patiẽtis circa cutem, eúmq; rubentẽ. Qui hoc modo patiuntur, neq; refrigerantia neq; calfactoria valde præsidia adhiberi sustinẽt. vrinæ eorũ fuluæ sunt, & mediocri præditæ crassitudine. venæ etiã in his copioso suscepto sanguine replentur, & in tumorẽ attollũtur. Aetas verò apta iuuẽtutis. Edulia pręcessẽrũt boni succi, & copiosè nutriẽtia, neglect⁹

Sigña.

Sanguinei defluxus.

exercitiorum. Tempus verò, in quo affligun
Biliosi. tur, ver. Biliosum defluxũ color subflauus,
& subrubeus testatur. itẽ caloris sensus dolo
risque lancinãtis modo acris. item humor in
cutem subito sine euidẽti tumore erumpens.
Refrigerãtibus medicamẽtis sic afflicti gau
dent, & iuuantur: à calidis autẽ offendũtur.
Febris in ipso accessionum statu accedit, va-
lidáque siti conficit, vrina sic patientiũ sub-
fulua, quandoque etiã acris, curæ autẽ ingen
tes, & irę, & vigiliæ, & fatigatiões, & in sum-
ma victus ratio bilẽ procreans, præcedere so
lẽt. Aetas, temperamentum, & tempus, cali-
Pituitosi. da & sicca ad eum defluxum apta sunt. At si
pituitosa fuerit fluxio, ad digitorum oppres
sionem cauus sit tumor, & sublaxus & mode
ratus, color dolẽtis membri albus. Aetas hoc
modo magis afficitur senilis, tẽperamentum
humidum & frigidum, consimilis ambiẽtis
status, & tempus hybernum. vrina tenuis est,
& aquosa. pręcedit otium, & victus ratio, quę
pituitosum humorẽ progignit. Si ex atra bi-
Atræ bilis influẽtis. le sit fluxus, quod rarò tamen contingit, co-
lor tumoris nigrior est. Aetas quę magis hũc
fluxum generat, est vigore inclinãte, tempe-
ramentũ frigidũ & siccũ, tẽpus autumni, re-
gio frigida & sicca, aẽris cõsimilis status, vi-
Curatio sanguinei. ctúsq; atram bilem gignens. Quũ igitur san-
guinei humoris fuerit influxus, protinus san
guis mitti debet, nõ solum semel, sed iterum

atq; iterum, detractione paulatim repetita. Si enim venæ sectione omissa, repellentibus medicamentis fueris vsus, magni mali autor eris. ex ignobilib. enim partib⁹ ad principes, & vitæ necessarias sanguis repulsus irruet. Secãda est autẽ vena in brachio inferna è directo cruris influxione infestati. Quòd si verò manus dextra dolore infestetur, venã in dextro crure secamus iuxta poplitem aut talos. Tum verò potissimum sanguinis missio tentanda erit, cum quempiam malum hoc primũ inuadere cœpit. Qui enim sæpius huiuscemodi defluxione sunt cõflictati, plus noxæ q̃ auxilii ex sanguinis detractiõe sentiũt, præsertim si corpore sint imbecillo ac frigido. Post missionem sanguinis patienti particulæ remedia adhibere oportet, quæ neque valde refrigerant: hæc enim humores cogũt, ac cõdensant: neq; immodicè calefaciũt. hęc siquidem caloris ratione ad partes patientes plus attrahũt. Quapropter aceto veteri cũ rosaceo partem patientem rigare oportet, præsertim si in alto hęrere dolorũ causa videat̃. Etenim acetum propria sua tenuitate vsq; in altũ progressum, expeditã rosaceo viam exhibet, quòd natura sua dolores lenire potest. Si in superficie dolor cõsistat, per vini & olei vsum magnopere iuueris: æstate quidẽ tepidorum, hyeme verò calidorũ. Deinde etiã cataplasmatis vtendũ, quæ dolores lenire pos-

Localia.

ſunt, ex farina fœnigræci, hordei, fabarũ, lu-pinorum, chamęmelo, & ſimilibus. Oportet autẽ ea omnino ſemper eſſe calida: quod cõmodè fieri poteſt, ſi aſsiduè permutẽtur, & lana forinſecus contegãtur. Nõ parũ proderit & hoc, quod ℞ lactis caprini ℥ vi. vitellos ouorũ numero ii. olei roſacei ℥ i. croci ʒ s. medullæ panis quod ſatis eſt vt medicamẽtum cataplaſmatis formã accipiat. Hęc itaque terantur donec vniantur: & vnita tãdem imponãtur. Poteſt etiam fieri ceratum ex oleo roſaceo, aceto, reſina, cera, galbano, ammoniaco, thure, croco, & ſimilibus. tale enim repulſoriam vim propter crocum & acetum obtinebit: concoctoriam verò, diſcuſſoriã, & moderate reſiccantem, rurſus ob crocũ, & aliorum commixtionem. Cęterùm cibos eis exhibere oportet, qui extenuant, & minus nutriũt: quales ſunt olera. carne autẽ, niſi ſit volucriũ montanarũ, abſtineãt, piſcibus petroſis vtantur. vinũ, ſi fieri poteſt, ex toto circũcidendum. nam hæc ferè vna ratio eſt, qua ſanitas cõſequi poteſt. Quam cum ex milibus vix vnus ſequatur, nihil mirum paucos, admodùm eſſe qui ab hoc morbo hodie liberẽtur. In vicẽ vini vti oportet decocto cinamomi, aniſi, & ſimilium aut potione ea quæ hodiernis tẽporibus Hippocras corrupta voce nominatur. cuius præparationem pete ex capite de Reſolutione. A fructib. & venere ab-

cataplaſmata.

victus.

cur pauci hodie à podagra liberẽtur.

stineant. Aluum etiam facile subeuntem habere oportet. Et si quidem officio suo spōte sua non fungatur, simpliciore aliquo clystere eluatur. Quòd si verò ob bilis influxū dolores excitentur, tum his communis scopus, humoris affligentis est euacuatio: quæ tum per vomitum, tum per ventrem fieri debet. Per medicamenta itaque bilem ducentia cō fidenter purgandi sunt sic afflicti. dein vsq; ad vigorem apponenda medicamenta, quibus refrigerandi & adstringendi facultas inest: qualia sunt quæ ex semperuiuo, rosis viridib. rumice acuto, solano, plantagine, & similibus iam sæpe commemoratis apparantur. In hoc influxus genere interdū ob doloris vehementiam iis, quæ stuporem inducere possunt, medicamentis vtendum erit. In quem sanè vsum conuenit adhibere medicamētum quod suprà descriptū est, ex lacte caprimo, medulla panis, croco, & oui vitellis: cui seminis papaueris ʒ iii. aut ʒ iiii. aut opii ʒ i. admixta sit. Prosunt hac ratiōe cicutæ folia & hyoscyami adhibita. Sed animaduertendum erit, vt quum in feruentibus doloribús fuerimus, ad stupefacientium vsum coacti, postea refoueamus partes per ea quæ calefacere posśūt. Nisi enim hoc fecerimus, debiles & intēperatas redditas partes perpetuo fluori obnoxias reddemus, & quæ in actionibus facilè offendantur. calorifica verò sint

Biliosi fluxus.

Stupefacientia.

origanum, satureia, sinapi, piper, & eiusmodi. Porrò adiuuare etiam oportet sudorũ exclusionem, corpus calefaciẽdo & fricãdo: ita tamen, ne patientes iocos contingamus. Præbenda quoq; in potu ea quæ vrinã ciẽt, talia enim bilem per lotiũ euacuare consueuerũt. Soporem quoq; inducẽtia, quod fluores ab ipsis resiccẽtur: atque id maxime, si post corporis purgationẽ exhibeantur, cõferre solẽt.

victus.

Cibi iis dandi refrigerantes, nõ tamẽ humectãtes: humiditas enim auget fluxionem. Famem & inediam ne tolerẽt: nam bilẽ acriorem reddunt. Ex fructib. pomis adstringẽtibus & mespilis & aliis quæ refrigerant & simul fluxus cohibẽt, vtantur. A vino prorsus abstineãt, vt priores. Qui ob pituitæ influxũ laborãt, horum curationẽ à pituitæ euacuatione auspicanda.

Pituitosi fluxus.

Euacuatur autem humor pituitosus per vomitus quidem, nihilominus tamen & per ventrem infernè. vtilior verò in hoc malo p̱ inferna purgatio, siue iuxta manus, siue iuxta pedes hæreat morbus, & multo magis, si iuxta omnes corporis articulos flux⁹ cõstiterit. familiarior enim pituitę via, & minus periculosa per intestina existit. Si enim in superiorem ventrem violenter attracta non vacuetur, periculũ inducit. Quapropter tutius est, vt ad infernam excretionẽ ducatur. Ante tamen purgantia medicamẽta, ea quibus incidendi & extenuandi facultas

ineſt, exhibẽda, vt hac ratione ad purgationem craſsi humores præparẽtur. Si euacuatio per purgationes fieri non poteſt, tum inedia & fame vtendum eſt ad plures dies. natura enim pituitoſi eã bene tolerare poſsũt, iuxta hoc Hippocraticum, Corporibus carnes habentibus humidas, famẽ adhibere con- 7. Aph. uenit. fames enim corpora ſiccat. Neque ab- 60. ſurdum erit, ſi clyſteribus, & medicamentis " vrinam cientibus vacuentur. Cæterũ extrin- " ſecùs medicamenta quæ dolores leniunt, & quæ diſcutere & moderatè reſiccare poſsũt, adhibenda, de quibus paulo ſuprà diximus. His vero in morbi principio aliqua quæ adſtringẽdi potentia prædita ſunt, commiſcere oportet. Poſt principium autem, ſolis diſcutientibus vtẽdum. Mãſuetiſsimum verò, hoc eſt, Althææ nimirum folia cocta, trita tum per ſe, tum cum polline, aut hordeacea farina impoſita. Radix etiam cocta in aqua mulſa, trita & impoſita confert. Et hoc vnguẽtum. quod ℞ olei laurini, irini añ ℥ i. adi- Vnguẽtũ. pis ſuilli veteris, butyri añ ʒ iii. medullæ ceruinæ ʒ ii. reſinæ terebinthinæ ʒ v. galbani in aceto diſſoluti ʒ i. hyſſopi, radicis altheę, ſe. fœnigræci añ ℈ ii. ceræ quod ſatis eſt, fiat vnguentum. Porrò quæ ratione nutrimẽti præbentur edulia, natura ſicciora ſint, & minus Victus ra- nutriãt: vt eſt oryzæ ſuccus, & eiuſmodi. car- tio. nes tamẽ auium montanarum aſſæ haud in-

commodant. cappares ex aceto mulſo mirifice proſunt. vinum præbeatur quàm minimum, tenue, fuluum, & vetus. Qui atrę bilis fluxionib⁹ moleſtãtur, ii venæ ſectione, aut purgatione ſunt euacuandi: venæ ſectione, quando ſanguis atra bile infectus eſt: purgatione verò, quando ad atram vergunt bilem ægrotantes. Si verò ambo hæc ſimul redundarint, non vnum aliquid ex prędictis adhibere ſuffecerit, ſed pręſectâ venâ, deinde purgante medicamẽto vtendum: quod ipſum & in aliis paſsionibus duplici euacuatione indigentibus erit faciendum, vt lib. 2. Paradoxorum abunde monſtrauimus. In principio autem morbi, & in ipſo vacuationis tempore, reprimentibus, & ſenſim ſimul calefacientibus vtendum eſt. Poſt euacuationem verò his quæ ſenſim calefacere, attenuare, & diſcutere poſſunt vtemur, de quibus ſuprà abũde eſt dictum. Cęterùm quoniam tophi & duri tumores ſubinde in articulis creantur: modò ob humoris, qui ad eos decubuit, craſsitiem terreſtrémque duritiam: modò propter immodicum diſcutientium & reſiccantium medicamentorũ vſum, ſine earũ quæ molliẽdi facultate pollent, miſtura. Ad quos certè depellendos ea quæ in cap. de Lienis duritie dicta ſunt, conferunt. Itẽ vetuſtiſsimus acerrimúſque caſeus cum ſuillæ carnis præpinguis & veteris decocto contritus, & ſuperim-

Atræ bilis fluxionis.

Tophorum curatio.

positus. Ad hoc malum conducunt etiam ficus triti, & impositi. Item althæa bis cocta, auena, vrtica, bryoniæ radix, bulbi, anethi, abrotani, buphthalmi marrubiiq; folia: ita vt singula prædicta cum pice & sulphure viuo permisceantur. Admiscendi etiam adipes suillus, caprinus, vitulinus, & anserinus. Medullæ itē omnes, & alia quę emolliēdi vi prędita sunt. Balneum sanè, ne silentio transeamus, post inflammationum remissionem omnibus podagricis cōmodissimum existit. Dum lauant, spongiæ aceto & sale permixtis madefactæ, locis patientibus circumponendh, vt à fluxione immunes permaneant. Lauare autem eos non semel tantum, sed iterum atque iterum in aëre per omnia moderato oportet. In aqua tamen calida non diutius morandum. Consultissimum itaque, vt aqua calida perfundantur. vtile etiam, vt totū corpus linteis siccis perfricetur. Prætereà curati à podagra, hac se ratione à podagra deinceps tuebuntur. Si primùm bis in anno, modò nihil sit quod idipsum prohibeat, sanguinem largè detraxerint, vere nimirum & autumno. Dein si iisdē tēporibus, & crebrius etiam, medicamentis purgātibus vsi fuerint. Cibis etiā vt demāt, & à satietate sibi caueāt necesse erit. vtendum quoque cibis cōcoctu facilibus, & qui prompte in partes corpo-

An balneū conducat podagricis.

Quomodo quis à podagra se tueatur.

ris diſtribuantur, & excrementis vacent, vi-
no aut prorſus abſtinendum, aut parcè vten-
dum. Exercitiorum creber ſit vſus, ídque an-
6.Epi. te cibum. Labores enim, Hippocrate noſtro
par.4. teſte, cibos præcedere debent. Et vt rē in pau
Aph.28. ca contraham, hoc perpetuò ſecum muſsitēt
6.Epi. Hippocratis, vt breuiſſimum, ita ſaluberri-
par.4. mum præceptum: ἄσκησις ὑγίης, ἀκορίη τρο
Aph.20. φῆς, ἀοκνίη πόνων: hoc eſt, Sanitatis ſtudium
eſt, non ſatiari cibis, & impigrū eſſe ad labo
res. Somnus etiam & venerea, vt idem docet,
Localia. ſint mediocria. Quod ad præſidiorū partem
6.Epid. attinet, ſal minutim in oleo tritus, & ar-
6.par. ticulis affrictus, omnes qui ſe ab hoc
Aph.5. malo vindicare volunt, magnificè
iuuat: niſi præter modum ſicca
intemperie ſint præditi. cō-
que illitu & mane &
veſperi per to-
tū vitæ curri-
culū, vten-
dū eſt.

LIBRI TERTII FINIS.

LEONHARDI FVCHSII DE MEDENDIS FEBRIBVS Liber Quartus.

DE DIARIA. CAP. I.

Diaria febris, Græcis ephemera dicitur, quòd ei⁹ vnica sit accessio, vno magna ex parte die, ex ipsius saltē natura, circunscripta. Nec ab re adiectū est, magna ex parte. sunt enim febres aliquę, vt sunt quæ ex dēsatione meatuum oriuntur, quæ etsi in tertium vsque diē extendantur, vt cap. secundo latius dicemus, nihilominus tamē diariæ nominātur. Quanuis enim de substātia ipsa talium febriū diariæ vocabulum non sit, tamē clarioris simul breuiorísq; doctrinæ gratia, cum eadem his sit quæ aliis diariis, nō obstante quòd nomē non sit idem, diarias etiā appellare licebit: ne scilicet præter tria prima febriū genera, (quorum vnum est in quo spiritus plus iusto incalescit, alterū in quo humor putrescit, & tertiū in quo corpus & solidæ eius partes febrilem calorem vt habitū susceperūt) quartū excogitare neçesse sit, vt copiosius Galen. lib. 9. Ther. meth. cap. 1. docet. Fit cùm absq; vlla prorsus putredine spiritus pręter naturā incalescit atque succenditur. Id quod fit ob

ἐφήμερα.

Diaria febris quæ.

Tria prima febriū genera.

causæ.

densitatem cutis, vigiliam, cruditatem, tristitiam, timorem, iram, curas animi vehementes, vstionem à sole, refrigerationem, lassitudinem, famem, ebrietatem, & inguinum tumores. Signa verò quibus deprehendũtur diariæ febres, duplicia sunt. quædã enim cõmunia omnium diariarum: & hæc numero sex sunt. Primum quidẽ pulsus. omnes enim diariæ, Galeno lib. 3. de Prędictione ex pulsibus autore, in magnitudinem, celeritatem, crebritatémque pulsus, quantum in ipsis est, mutãt. Exquisitè autem seruant eam quæ secundam naturam est, æqualitatem, mollitiẽ, & ordinem. Alterum, vrina: prima siquidem statim die vrina cõcocta apparet, & benè colorata. Tertiũ, caloris qualitas: quę in omnibus suauis & mitis existit. Quartũ, declinatio: quæ in singulis cum sudore, rore, aut omnino cum aliquo optimo vapore accidit. Quintũ, defectus malignorum symptomatum. Sextum, quia omnes à causa extrinseca (quam primitiuam vocant) oriũtur. Quę singula copiosius recẽset Galenus lib. 1. ad Glauconem, cap. 2. & lib. 1. de Diff. feb. cap. 7. necnõ lib. 2. de crisibus cap. 13. Quędã etiã sunt signa quibus particulatim quæuis diaria dignoscitur, quæ traduntur à Galeno lib. 1. de Diff. feb. cap. 11. & lib. 2. de crisibus cap. vlt. lib. 1. ad Glauc. cap. 2. Quare consultò iis omnibus omissis, ad curãdi generalẽ rationẽ

Signa.

descẽdamus: quę primũ per victus rationem perficitur: cuius quidem in omnibus diariis simpliciter appellatis communis intẽtio est, vt cibi boni succi, & concoctu faciles, ac distributioni idonei præbeantur: vstis à sole quidẽ & iratis, qui refrigerant & humectant: refrigeratis, qui minus nutriũt, & moderatè calefaciũt: vigiliis, aut tristitia, aut nimia cura confectis, qui humectant pariter ac somnũ conciliant: defatigatis, qui maximè nutriũt. Cæterùm in quibus corporis intemperies calidior & siccior est, hos in primo statim accessionis insultu cibare oportet. nisi enim quis hanc naturã statim cibet, ocyssime in ea diaria febris mutatur in acutã. Vinum omnib[9] diariis simpliciter nominatis aquosum, albũ, & tenue conuenit. nam præter id quod concoctionẽ iuuat, vrinas etiã & sudores prouocat. Sed vigiliis, aut curis, aut tristitia maceratis, vberius cõcedẽdum: defatigatis, quantum conficere possunt. iratis tamen, nisi omnino ab affectu quieuerint, vinũ non tutò datur: vt fusius Galen. lib. 1. ad Glauconẽ cap. 3. docet. Porrò curare oportet omnes diarias simpliciter dictas balneis, sic tamẽ vt eos qui ob lassitudinẽ aut inguinũ tumorem febricitant, priùs dulci tepidóque ac multo oleo suauiter perfricatos, ad dulciũ aquarũ balneũ ducamus. Si vero eos qui inguinũ tumore febricitãt, in aëre balnei immorari ius

victus.

curatio.

ſeris, haudquaquã nocebis. Reliquos omnes quàm citiſsimè oportet ab aëre ſemouere. Qui ob vigilias, curas, triſtitiam, atque iram febricitant, eos quidem plurimũ lauare ſubinde non oportet. verũ oleo magis nihil adſtrictionis habente affatim perfundẽdi, parcéq; fricati pro cõſuetudine lauãdi ſunt. A ſolis vſtione febricitãtes, ſtatim initio refrigeratiõe, & crebriorib⁹ balneis aquę dulcis, ſoláq; exigui olei pfuſione citra frictionẽ curare oportet. Sint autẽ quæ refrigerãt capiti admota, roſaceũ quod ſalis expers ſit, aliáq; eiuſmodi quæ lib. 1. cap. 3. dicta ſunt. Hæc autem frigefacta deinceps lana excipienda ſunt, ac ſuſpẽſa in ſublime manu exprimẽdo ſyncipiti inſtillanda, ídque aſsiduè donec febris inclinauerit: poſteà in balneum æger ducendus. Si quis ex frigore febriat, is quoq; ad balneum in febris declinatione eſt ducendus, capútque ante & poſt lotionem irino oleo aut nardino aut ſimili fouẽdũ. Qui ob famẽ febricitant, declinãte acceſsione ad balneum ducendi ſunt, plurimóq; oleo dulci ac tepẽte perfuſi molliter perfricandi, diutiúsque in ſolii calidi aqua continẽdi. egreſſis vires reficiendæ, inde rurſus ad balneum ducendi. vbi denuò egreſsi fuerint, ſedata balnei perturbatione aqua calida propinanda, tum ptiſanæ cremor exhibendus, & interdum ex albo iure piſces ſaxatiles. Si ob

cruditatem febris diaria oritur, considerandũ erit an aluus lubrica sit, an adstricta. vbi lubrica est,& ea tantum quæ corrupta fuere, vacuata esse videntur, tum lauandum, tum nutriendum in remissione febris: sed iis quę sunt circa ventriculum, prius consulẽtes. Sin ita multa inanitio aut prius facta sit, aut nũc etiam in homine duret, vt virtus iam defessa sit, satius est omissa lauatione cibare, sed consulentes prius iis quæ circa ventrem sunt. Cõsuletur autem laborantibus, si modò vacuatio amplius non duret, irrigatione ventriculi ex oleo & absinthio,& aliis quæ suprà lib. 3. cap. 1. de imbecillitate vẽtriculi dicta sunt. Sint autem ea quæ ventriculo imponuntur, abunde calentia: quippe quæ tepida sunt, omnia ventriculi firmitudinem dissoluunt. Si verò omnino venter adstringitur, contrectatis hypochondriis, mox toto ventre, considerandum, num cibus in gracile intestinum, aut in colon descenderit. Si alimenta in ventriculo adhuc persistant, conetur æger plurima tepida aqua epota, immisso digito aut penna, totum quod infestat, euomere. deinde de fouendo hypochondria quiescere. At vbi iam ad intestina alimentum descenderit, iubendum vt decliui facie ac vẽtriculo recumbat: ventérque fouendus, ac somnus cõciliãdus. Post somnum ad educenda excrementa glans supponẽda, aut leui clystere aluus mo-

Tepida ventriculi robur dissoluũt

uenda. Qui ex inguinum inflammatione fę brem cōceperūt, ne medicum quidem interrogant quid sit faciendum, sed vlceri tantum ob quod inflammntio euenerit, intendentes declinante exacerbatione lauantur. Arcendi verò à vino omnes qui sic febricitant, tenuísque illis victus quousque liberentur, adhibēdus. Hactenus quàm breuissimè potuimus febrium diariarum curationē prosecuti sumus: quam copiosius tradit Galen. lib. viii. Ther. meth. & in primo ad Glauconem.

DE DIARIA EX OBSTRVCTIONE MEATVVM. CAP. II.

Febris quę ex stipatione meatuum oritur, eiusdem naturę est cum diariis, Galen. lib. 9. Ther. meth. teste: desistit enim post primam accessionē, si quis eam rectè tractet: ideóq; inter verè diarias nō obstante quòd eius accessio interdum vltra vnū diem porrigatur, rectè cōnumeratur. Dicitur alio nomine synochus citra putredinem, aut diaria plurium dierum, vt ex loco Galeni iam citato fit euidentissimum. Accidit autem stipatio vel obstructis exilibus meatibus vel conniuētibus vel etiā corpore ipso immoderatiùs densato, id quod à frigore, aut qualitate vel balnei vel medicamenti acerba & adstringente, sole feruente, & aliis quæ cutim siccare possunt, euenit. Quia vero propter stipationem intra corpus fumida fuliginosáq; excrementa de-

tinentur plurima, forâs autem quod de iis effluit, exiguum est, fit vt febrẽ accendat. Deprehenditur primũ tactu: neque enim densitas tactũ exercitatum latere potest. Dein motu caloris, qui primo quidẽ insultu mitis apparet: posteà tamen vbi perdurauerit, acrior euadit. Tertiò ex vrina, quæ neque crassitudine, neq; colore à naturali multum est aliena. Quartò ex tumore corporis, qui manet, nec collabitur. oculi etiã nõ sunt concaui, sed prominentiores, & humidiores quàm secundum naturam. Quintò ex pulsu qui ęqualis, maximus, celer, frequens, & vehemẽs existit. Signa.

Qui ita laborãt, si rectè curabuntur, iis sanguinis missio est adhibenda. tantúmque sanguinis est detrahendũ, quantũ vires tolerant. Pro certo quoq; habendum (nisi iis qui hoc per naturã sunt habitu, id adhibeatur præsidiũ) fore vt vel suffocentur, vel certe syncope omnino periclitentur. corpore vacuato, post aut nutrimentum aut medicamentum, ex iis quę detergeãt, exhibebis. Quę autem hoc in febribus præstãt, in alimentorũ ratione sunt ptisana & mulsa: in medicamentorum, oxymeli, & quæcũque incoquere in mulsa lięet, ceu calamintha, & hyssopum, & origanum, & serpillum, & iris, & apium. Verùm hæc omnia iusto calidiora sunt, ideóq; febres accendũt, ita vtiq; vt vinum. oxymeli verò solum nec febres accendit, & strenuè deterget, Curatio. Detergẽtia citra.

calefa- sic vt ea quæ glutinosa crassáque sunt, dissol-
ctionem uat, & meatus obstructos liberet. Tertio die mane si videris minimũ esse quod de febri relinquitur, ac neque putredinis humorũ in pulsu nota subsit, neque in vrina cruditatis: suspecta verò hora, qua primo die febris occupauit, extra meridiem sit ac præterierit, audacter hominem quàm ocyssime lauabis, lõgè ante sextam horam. Abunde tamen sit, si intra tertiam horam lauationem compleueris. Ad eundem modum si decimam horam suspectam habueris, vsq; ad septimam laues licet, quum tres æquinoctiales horas, quatuórve inter balneum accessionísque tẽpus interponi, abunde sit satis. Vbi in balneo corpus incaluerit, oleo prius dulci tepido vnctum, ac moderatissimũ frictum, mox detergeri extrinsecùs abluíque debet. Moderatissimum autem detergent erui farina, tũ hordei, tum fabarum. Post balneũ præter aquã quæ parũ apii incoctum in se habuerit, nihil his est offerẽdum. Licet quod inter balneum & suspectas horas spatium erit, triũ ferè horarum coniiciamus. Si verò circa vesperã aut duabus horis citius accessio inuadet, tum lauisse mane licebit, tum cibasse, sed tantũ ptisanæ cremore. Deinde si suspectæ horæ nihil afferant, & lauare rursus si velit licet, & cibare. Sin aliquid eueniat, & cõferendum id est cum accessione quæ primo die inciderat, &

tum vrinæ cõsiderãdæ sunt, tum etiam pulsus. Quæ omnia profectò mediocria apparebũt, vbi exigua relinquitur obstructio. Quare ipsum & lauabis 4 die, & cibabis, ad iam dictas considerationes spectans, sperabisque nihil quinto die superuẽturum. At si magna obstructio facta sit, ea febris ex diariarũ genere non erit.

DE SYNOCHO CVM PVTREDINE. CAP. III.

Synochus Gręcis, febris est in qua vna accessio ab initio ad finem perpetuò manẽs, in multos porrigitur dies. vel est, quæ omni mutatione magna vsque ad iudicium caret. Latinis potest dici continẽs. Huius autem febris duplex ex natura. quædam nanque notã putredinis prorsus nullam habet, & hæc ex diariarum febrium est genere, vt diximus cap. proximo, & synochus non putrida vocatur. de ea hîc nobis sermo nõ erit. quædã autem manifestã obtinet putredinis notã: hæc est, de qua hîc agitur, & dicitur synochus putrida. Febrium verò quę synochi seu continentes dicuntur, tres sunt differẽtiæ. nam quædã earum à principio vsq; ad finem æquali magnitudine perdurãt, & dicũtur gręce homotoni & acmastici, hoc est in eodẽ vigore permanentes. quædam semper augẽtur, & adiiciunt exiguum aliquid, Græci anabaticos & epacmasticos, id est incremẽtũ suscipientes

σύνοχος.

Cõtinẽs febris.

Differẽtiæ tres synochorum.

ἀκμαστικοί.

ἐπακμαστικοί.

παρακμαστικοί. nominãt.quædã paulatim diminuuntur, paracmasticos Gręci vocãt,hoc est decrescẽtes, quemadmodũ fusiùs tradit Gal.lib.9.Ther. meth.& lib.2.de Diff.feb. cap.2.& lib.2. de crisibus cap. 6. Putrida synochus fit ab iisdẽ

Causæ. causis, à quibus non putrida,nempe à vehemẽti stipatione quæ intra corpus febrilẽ calorẽ cohibet,&efficit vt in omnibus vasis,ac potissimũ maximis,ęquabiliter humores putrescãt.quęcũq; enim calida & humida sunt, difficilémq; trãspirationem habẽt, ea facilè quoque putrescunt. Hinc est q̃ hoc genus febris nec in gracilibus vel qui raro sunt corporis habitu, nec in frigido corporis temperamento, nec in frigida ætate excitetur: sed ætate & temperamento calidis: ac præcipuè si & carnosus, & bono ac multo sanguine affluẽs,& dẽso corpore æger sit, aut etiam calidis excrementis refertus. Ex his itaque constat, q̃ sanguis qui in vniuersis vasis,præsertim maximis circa alas & inguina existẽtib⁹ æquabiliter exuberans putrescit, & synochi putridæ causa existat. Qui ita febricitant,iis & pulsus maximus est, vehemens, celer, creber,& æqualis, haud secùs ac in synocho nõ putrida,& vehemẽs. constitutio etiã arteriæ nec durior quàm pro natura ẽ, nec mollior, celeritatis tamen & frequentiæ eò peruenit, quò febris ipsa magnitudinis. Atq; hæc quidem(vt diximus)ambarũ cõmunia.alteri ve-

Qui synochis maximè corripiãtur.

rò de qua nunc agimus priuãtim putredinis insunt notæ, ídq; tũ in vrina, tũ pulsu, tum caloris nigrata qualitate. Curãdi ratio vt in synocha non putrida, à sanguinis missione auspicãda. Et valida existente virtute, nulloque alio insigniter repugnante, sanguis vsque ad animi deliquiũ auferendus. Maximũ enim hoc, Galen. lib. 9. Ther. meth. autore, vbi valentes vires sunt, synochi febris remediũ est. Primũ nãq; in cõtrarium statum agitur corpus, celerrimè ex animi defectu refrigeratũ. Hoc verò nemo inuenire potest, neq; ꝙ ipsis ęgris, neq; quod naturę quę animãtes gubernat, iucũdius vtiliúsve sit. Postmodũ in eiusmodi corporibus necessariò superuenit alui deiectio, nõnunq̃ etiã bilis vomitio. quas res statĩ à toto corpore sudores excipiũt. Quòd si verò curare aliquando ægrotum cogêris, cui nõ solũ anteà secãdæ venæ remediũ prætermissũ est, sed nũc quoq;, vel per medicorũ ignorantiã, vel ipsius laborãtis propinquorũq; eius timiditatẽ, procedẽte tẽpore mittere sanguinẽ prohiberis, ad frigidam exhibẽdam accedes: sed diligenter antè discernens, quantũ ex ea nocumẽtũ cõtingere possit. Nã si id aut exiguũ erit, aut nullũ, offerenda potui est quę prorsus sit gelida, quãtũ bibere ægro libet. Quinimo magis id audebis, si frigidæ potioni insueuerit. Sin magnũ timetur incõmodum, ab hac quidem abstinendum,

Curatio.

Sanguinis missio.

Qñ frigida adhibenda.

atq; aliis auxiliis quibus obstructio eximatur, & abundantia vacuetur, & febris feruor deferbeat, vtendũ. Quæ singula è suis locis tibi petẽda erũt. Porrò incõmoda quæ frigidam potioné intẽpestiuè immodicéq; exhibitam sequuntur, hæc sunt. Primũ, quia lentos crassósq; humores, siue obstructiones, siue putredinem, siue phlegmoné, siue erysipelas, aut scirrhũ, aut œdema creauerint, attenuari digeríque prohibet. Quoties igitur ex iis febris accéditur, ad eorum vacuationem frigida data non conducit. Ad præsens tamẽ non parum adfert leuamen, propterea quòd iam accensam febrem extinguit: verùm quũ causa eius adhuc permaneat, aliam denuò accẽdi febrem est necesse, atque eâ quæ præcessit nonnunquam difficiliorem: propterea quòd densatum ex frigida corpus est. Alterũ incõmodum est, quod multas laborantis imbecillas particulas, siue ita se ex naturali intemperie habeat, siue ex vitio adscititio, lædit. Sic compertum est aliis gulam adeò vehemẽter esse læsam, vt vix deglutirent: aliis ventriculum, vt vix concoquerent: aliis ipsum ventriculi os, aut iecur, aut colon, aut pulmonem, aut septum trãsuersum, aut renes, aut vesica, aut tale quippiã aliud à frigido percussum, ad propriã actionem infirmum esse redditũ. Nonnulli autem ex intẽpestiua immodicáq; eius potione, non multo interposito tẽpore,

Frigida quibus incõmodat.

nec postmodùm, sed illico difficultate spirã di, & cõuulsione, & tremore correpti sunt, ac toto (vt semel dicam) neruoso genere læsi, vt itaque in pauca rẽ contrahamus, quibuscũq; in principe particula tumor aliqs phlegmonodes, aut œdematodes, aut scirrhus cõstiterit, iis frigidã offerre non oportet: sed nec iis quibus obstructio putridúsve humor nõ cõcoctus incommodat. Quòd si verò euidẽtes percipis absque iam dictis tumoribus cõcoctionis notas, neque pars aliqua tẽperamento adeò frigido fuerit prædita, vt in hanc noxa procũbat, audacter frigidam dabis. quippe solidarum animalis partium natura roborata, prætenuatis iã humoribus opponitur: ita vt qui vtiles sint, atque ad nutriendum habiles, hos quidẽ ad se trahat, inutiles vel per vẽtrem, vel per cutim eiiciat. Quòd si etiam frigidę assuetus ęger fuerit, maiori cum fiducia frigidam exhibebis, ipsa scilicet experiẽtia iã edoctus, omnia viscera eius occursum familiariter tolerare. omnino nãque si quod frigidũ adeò esset, vt ab hac offẽderetur, per sanitatis id tempus euidẽter offensam suam ostẽdisset. Ex iis perspicuum fit, cõtinẽtium febrium maxima remedia esse hæc duo, sanguinis detractionem, & potionẽ frigidã. verùm illa nullo non tempore, modò vires sustineant: hæc quum & in pulsu, & vrinis coctionis euidẽtes cernũtur notæ: febris autem

Epilog^9 curationis.

Victus ratio. est maxima. victus ratio hæc potißimùm sit. His quibus secta est vena, post duas à sectione horas ptisanę cremorem exhibebis, quietémque imperabis. vbi à somno excitati fuerint, rursus ptisanę cremor præbẽdus. In hac victus ratione vsque ad tertium diem persistendum. Animaduertendum tamen in synochis febribus tum alendos esse ęgros, quo tẽpore sani consueuerant, & vbi maius leuamẽ sentiunt: ita enim alimentum faciliùs ferent. Quòd si vires robustæ fuerint, & vigor morbi statim expectetur, tenuißimo victu, & eo qui iam dictus est, vtendum erit: sin cõtrà vires imbecillę fuerint, haud sine ingenti dispẽdio victus tenuis exhibetur. ergo in cibis offerendis virium robur diligenter perpẽdendum. Hæc de curatione febris cõtinentis putridæ sufficiant. plura si desideras, nemo desiderio tuo rectiùs satisfacit præter Galenũ, qui libro 9. Therap. methodi hanc ex professo & copiosßimè docuit.

DE CONTINVIS FEBRIBVS. CAP. IIII.

cõtinua febris quid. Cõtinuæ febres sunt, quæ non desinunt ad infebricitationem, remißionem tamẽ in singulis acceßionibus habẽt. Differũt igitur à synochis, quòd scilicet hæ nullam prorsus feruoris remißionem obtineant, vnicáque illis sit acceßio, quæ ab initio ad finẽ vsq; perpetuò manet. Fiunt propter humores qui in-

causa.

tra vasa putrescunt: hácque ratione ab intermittentibus differũt, in quibus humores eas excitãtes per singulas corporis partes disperguntur. quò fit vt delationis impetu ipsæ per se ipsas expurgẽtur. Nullũ certius indicium febrium continuatum est, quàm quòd nulla illarum ad infebricitationem perueniat, donec ex integro desierint. Atque à synochis facilè discernũtur per remissionẽ, quam in singulis accessionibus obtinẽt. Sunt autẽ febriũ continuarum tres differentiæ, quæ iuxta humoris in venis putrescẽtis diuersitatem procreãtur. Si enim flaua bilis putrescat intra vasa, tertiana cõtinua, quæ alio nomine causos Græcis, ardẽs verò Latinis nominatur. Sin pituita, quotidiana cõtinua: veluti si atra bilis, quartana continua nascitur. vnde liquet, cõtinuas febres idem habere genus cũ intermittẽtibus. cum tertiana quidẽ exquisita, exquisita ardẽs: cũ quotidiana verò, ea quæ quotidie quidẽ facit accessionem, sed nunquã desinit ad infebricitationẽ. cũ quartana illa quæ quouis die inuadit, sine vlla intermissione. Porrò quum continuę febres ex putridarum sint genere, necesse erit vt qui illas curare volet, putredinẽ inhibeat. Ita duæ statim se inditationes exhibẽt, quarum altera à febri, altera verò à putredine sumitũ. Atq; à febri rursus duæ, scilicet vt portio febris quæ iá accẽsa est, percuretur: quę verò in generatiõe est,

Signa.

Differẽtiæ tres febriũ cõtinuarũ.

καῦσος.

Curatio.

inhibeat. Aliæq; duæ à putredine, vt & quod putredinis iam factũ est, sanemus, & quod in generatione adhuc est, sistamus. Porrò quod in generatiõe est, id perspiratio impedita facit. Ita ab hac quoque aliæ duæ indicationes nascentur, tum vt quod retẽtum est vacuetur, tum quod retinendum est prohibeatur. Sanè prohibebitur iis præsidiis, quæ obstructioni medentur. Huius rursus obstructionis quod iam occupauit, sanandum est: quod futurum est, propulsandum. At curabitur quidem obstructionis quod iã factũ est, per ea quæ obstructa liberãt. propulsabitur quod futurum est, si affluxũ obstruentium succorũ cõpescamus. vnde satis liquet, quod vltimum in ipsa resolutiua methodo est inuẽtum, id primum omnium in curatione esse peragẽdũ. Quum itaq; particulatim rem expendentibus, quinque sint in febribus continuis à quibus indicationes colligũtur, febris nimirũ, putredo, perspiratio impedita, obstructio, humorum destruentium copia, à postremo curãdi ratio auspicanda erit. Copia itaque humorũ requirẽte vacuationem, principio, si valida fuerit virtus, tempus & ætas, atque alia consentiãt, sanguinem mittere oportet. vacuata multitudine, ad alterius, puta obstructionis, curationem accedendum, medicamentisque iis quæ obstructiones tollere possunt vtendũ. verùm quoniam horum pleráq; calida sunt, metus

Venæ sectio.

est, ne tum putredinem, tum febrem augeãt. Itaque iis quę citra caloré liberare ab obstructionibus valeant, vtemur. Qualia verò hæc sint, diximus suprà, capite nimirum secũdo huius libri. vbi autem quæ obstruũt detersa dissectáq; sunt, per aluum, vrinas, & sudorem ea vacuare tẽtandum. Quum verò materię, quæ hæc efficiãt, etiam calidę sint, necesse est intereà tum putredinem tum febrem augeri. Quare quoad licet, id agendũ, vt quæ minus calefaciat materia deligatur. aut si qua inueri potest quæ nõ calefaciat, quẽadmodum in hoc casu balneum, vtique ea petenda est. balneũ verò id posse Galenus lib. tertio de tuenda valetudine iis verbis docet: Dulcium cale „ factarum aquarum, si tepidiores sint, vis hu- „ mida & frigida est. Et paulò pòst: Balneũ si „ probè adhibeas, duras tensásq; partes emol- „ lit, excrementũ, putréq; si quod intus ad cuté hæret, euocat. His itaq; peractis, & detersis iis quæ cuti impacta fuerũt, atq; adeò obstructione ac impedita perspiratione amota ad putredinis curationem veniendũ est. Hoc itaq; tẽpore etiam vires roborare, quò & putrediné superent, & succos concoquãt, studebimus. Putrediné etiã sanabimus, si id quod iam corruptũ est, omni ratione vacuabimus: quod reliquum est, moderatis motibus & refrigerante perspiratu, ad exactam mediocritatem reducemus, ac vacuationem eorum

per vrinam, deiectiones, vomitũ, ac sudores moliemur. Vltimò ad febris curationẽ progrediendum, quæ quidem per refrigerantia fieri solet. omnis enim febris, quâ febris est, humectatio refrigeratióque remedia sunt. Quemadmodùm autem horum quodq; rectè fieri debeat, partim antea dictum est, partim etiam in sequentibus commemorabitur.

DE ARDENTE FEBRE. CAP. V.

Ardẽs febris est, quæ Græcis (vt suprà quoque dictũ est) causos vocatur. Estq; ex genere continuarum. Fit, quando flaua bilis in venis putrescit, atque adeò cum tertiana intermittente, eo quòd ab eodẽ procreetur humore, communicat. Differt autem, quod in hac per totum corpus bilis defertur, in ardẽte autem febre flauæ bilis humor in vasis vnà cum sanguine continetur. atque ob eã etiam causam in adurente febre singulę accessiones ad infebricitationẽ non perueniunt. Quando verò in iis bilis etiã vehemẽtius agitatur, & à natura inualescente compellitur, tunc rigor superuenit, & febris soluitur. Id quod Hippocrates ĩ Aphorismis iis ĩnuere verbis voluit.

» A febre ardente habito, rigore superueniẽte, fit solutio. Dignoscitur verò iis notis. Lingua eorũ qui hac febre affliguntur, arida fit, crassa, aspera, & nigra: vẽtriculi erosio, sitis intolerabilis, vigilię, nonnunquã etiam delirium eosdẽ infestat. Deiectiones etià pallidę sunt.

καῦσος. causa.

4. Aph. 58.

Signa.

Quod ad curãdi rationem attinet, prima febre ardente laborãtium præsidia sunt, vt decumbãt in frigido loco ad suauem aurã exposito, à qua purus difflctur aër, culcitra etiã molli, quæ frequẽter sternenda est. Stragula tenuissima sint, & minimè sordida. quæ assiduè mutentur, habeátque lectus insignem latitudinẽ, vt ad diuersas subinde partes membra calefacta trãsferri cõmodè queãt. Tum aër ignauior flabello excitetur: pectus ac stomachus foueantur palmulis cũ rosaceo, aut oleo cotoneorũ tritis. cõueniunt & alia refrigerantia medicamẽta, vt sunt palmites, intybum, polygonum, plantago, ramẽta cucurbitæ, lectuca, oxalis, folia vitis, & similia. Sudariolum quoque tenue complicatum, oleoq; & aqua calentibus madefactũ, stomacho & pectori applicetur: id enim febriũ ardorem mirum in modũ sedat. lana quoq; quantum manu capitur, aqua & oleo rosaceo calefactis imbibita è sublimi in pect⁹ expressa feruoris vehemẽtiã facilè obtũdit. Hęc autẽ calida esse oportet. nã tepida membrorũ vigorem exoluunt. Nec frustrà in ardẽtissimis febribus etiã acetum admiscebis. Cibi offerendi sunt, quibus refrigerãdi & humectãdi vis inest: qualis est lactuca, cucurbita, cremor ptisanę, & similes. Potus sit decoctũ cinanomi, aut omphacium. & si assueuerit ęger, post cibum frigidam deglutiendã dato, quantũ est,

Curatio.

Tepida membrorũ vigorẽ exoluũt.

cochleare vnũ, aut duo: vel cũ decocto hordei miſceantur iuleb, vt vocant, violarũ, roſarum, & iis ſimilia. ſucco prætereà ſolarũ roſarum ſtomachum recreabis: atq; alias refrigerationes machinaberis, virentibus vitis, roſarũ, nymphææ, violarum foliis & floribus, ſolum ſternendo, & aquam frigidam ſępius irrigando, riuulóſque aquarũ moliendo, quæ ex propinquo ſuauiter inſtrepant. Inter initia verò ſtatim, ſi ætas, tempus, virtus, & alia eiuſmodi permiſerint, venam incidere oportet, vt ex capite præcedẽte etiam ſatis liquet.

Venæ ſectio.

Epithemata quo tempore adhibẽda.

Epithemata verò & reliqua refrigerãtia in principiis & incrementis acceſſionum non ſunt admouenda: hoc enim tempore corporis affect⁹ adhuc ambigit, & calor viſcera obſidet: quapropter adhibita calorẽ in profundum repellendo, maioris nocumẽti occaſionem præſtant. igneus enim calor intus repreſſus, vehemẽtiori rurſus ardore excitatur: ſed in vigore, calore iam per vniuerſum corpus explicato. tum enim reſiduum caloris pręter naturam circa viſcera derelictũ, promptè extinguetur. Hinc ęgri melius ſpirare incipiũt, & leuiori ſiti infeſtãtur. Quidam etiam rorido efflãte vapore deliniti, ſomnũ capeſsunt. Sint autem epithemata eiuſmodi, quæ ℞ ſucci roſarũ, lactucę añ ℥ iii s. ſucci intybi domeſtici ℥ ii s. aceti optimi ℥ i s. ſantalorũ omniũ añ ʒ i. caphuræ gr. iiii. miſce, fiat epithema.

Epithema.

Porrò instante totius morbi vigore, & nullo eorum quæ dicta sunt cap.3 prohibente, danda syncera frigida. In curatione siquidem febrium ardentium, horũ alterum fieri necessariũ est, si perfectè morbus solui debet: aut biliosos humores excerni, aut eosdẽ extingui. Excernũtur itaq; per venæ sectionẽ, sudores vomitiones, & aluum. Extinguuntur autẽ frigidæ pòtu, quo ardẽtissimę febres nõ rarò ex toto curãtur. Cęterũ balneũ his solũ vsui est, qui citra tumorẽ inflammationi aut erysipelati consimilem, ardenti febre laborãt, in vrinísq; apparuerint coctionis signa. Aeger qui lauacro frigido vti vult, sit iuuenis, carnosus, tempus quoque æstiuum, ac constitutio anni calida & sicca: nec eo vtatur nisi ĩ febris vigore: ídq; maxime faciat, si frigidæ lotioni assueuerit. Moderatiori verò existẽte febre, robustáq; virtute, simul cũ coctionis notis, conferũt dulcis tẽperatæq; aquæ balnea: hæc enĩ refrigerant & humectãt, vt diximus. Ex vnctionibus chamæmelinũ oleum etiam, si cõtinens aër frigidus sit, conuenit. Materiæ ex qua remedia ardentium febrium cõponuntur, copiam ex sequentibus petes capitibus.

Aqua frigida quã do dãda.

Balneũ.

DE EXQVISITA INTERMITTENTE. CAP. VI.

Tertiana quidẽ febris intermittẽs exquisita est, quę ex flaua bile per sensiles corporis partes delata oritur, & sui ipsius naturã purã

Tertiana exquisita.

atque syncerã seruat, & dignoscitur iis notis.

Signa.

In biliosioribus naturâ corporibus consistit, & vigēti ætate, tempore æstiuo, calidis & siccis regionibus, similiq; aëris cōstitutione, vita etiã laborib⁹, vigiliis, curis, ac soliis feruori addicta. Ad hæc in eo quoq; facile tertiana exquisita accenditur, qui cibis ac potionibus calidis & siccis antea vsus est. Hæc etiam statim ab initio inque singulis accessionibus rigorem vehemētem affert: qua vna ratione ab ardente febre, vt antea commemoratũ est, differt. A quartanę verò rigore in hoc distat, quòd corpus pũgere, ac veluti vlcerare videatur: cum quartana refrigerationē habeat simillimam ei quę hyberno tempore sentitur. Tertianam itaque febrem non contingit fieri sine rigore vehementi, pungente ac vulnerante carnē. Quartana verò, neq; primo die statim cũ rigore inuadit vehemēti. nam progrediente ipsa atque aucta, vnà etiã rigor augetur: sensúsque ęgrotantiũ non est quasi eorum qui punguntur, sed potius qui refrigerãtur, & veluti ad ossa vsq; molestãtur. Est quoque in tertianis pulsuum exactus ordo & æqualitas, qui tamen ad vehemētiam, magnitudinem, & frequentiam in accessionũ incremento excitãtur. Præterea & sitim in vigore inuehit, ac hominem exurit, vt abiectis vestibus æger denudetur, ampléque & frequenter spiret, exufflétq; veluti flãmam, frigidámq;

Quartanæ rigor quo distet à rigore tertianæ.

potandã flagitet. calor ęqualiter subinde per totũ corpus extenditur, nihilóq; magis thorax quàm extrema calent. Et si manũ inieceris, occurrit primum plurimus ac mordax calor, & cũ aliquo veluti vapore elatus. nõ multo tamen postea à manu euincitur. Et iam bibendi tẽpus adest ægrotãdi. vbi verò potione fuerit recreatus, statim copia vaporis calidi per cutem emergit, sudoris nuntia. Bilis etiam vomitio superuenit, aluúsq; soluitur, & biliosum mingunt. Pręthereà ad integritatẽ infebricitationémve desinit, vbi accessionis tempus horarum nõ plurium duodecim expedierit. nam hoc tempus lõgissimum est in veris tertianis. Quæ singula fusiùs explicat Galenus libro 2. de crisib. cap. 3. Tertianum autem exquisitã, vt quæ ex flaua bile cõmota inualescat quàm maxime fieri potest, refrigerare ac humectare oportet. is enim humor inter omnes qui in corpore sunt, calidiórque sicciórque existet. Aeger itaque decumbat in loco frigido ad auram suauem, vt cap. 5. etiam dictum est, exposito. Solum etiam spargatur frequẽter aqua frigida, aqua stillatitia rosarum, violarum, & similium. Humi etiam sternãtur folia salicum, vitis, flores rosarum, violarũ, nenupharis, ac eiusmodi. Cibis vtantur ægri, quibus humectãdi & refrigerãdi facultas inest. Ex oleribus quidem atriplici blito, malua, lactuca, cucurbita, lapatho, inty-

Tertianæ exquisitæ curatio.

bis,& similib⁹. Ex aliis verò ptisanę succo,& piscibus saxatilibus. Ex volatilibus,quę mollibus constant carnibus. Quæ verò talia non sunt.eorum alis:testiculis quoq; gallorũ,suillisque pedib⁹ & cerebro. Porcellorum etiam si dederis carnem liquefactã, nihil nocebis. Sed & oua ad sorbendum sunt offeréda,prę-sertim vitelli eorũ: nã hi faciliùs quàm pars alba concoquuntur. Ex fructibus permittendum, vt illos degustẽt qui nõ omnino ad cõcoquendũ difficiles sunt. Abstinẽdũ autem à melle,sinapi,salitis,omnibúsq; acribus. A vino verò, antequàm morbus cõcoquatur, omnino arcendus ęger. Interim bibat decoctũ cinamomi,aut hordei,aut hoc quod ℞ zulapii violacei ℥ iiii.decoctionis cinamomi lib. 1.misce,fiat potio. Cæterùm vbi cõcoqui cœperit morbus, dandum est ab initio vinũ tenue,aquosum,& paucum:vbi verò iam prope est vt morbus soluatur, amplius est offerẽdum. Quod ad somni rationẽ attinet,in accessione non est dormiendũ, sed vigilãdum potius,vt sanguinis,spiritus, & caloris naturalis ad interiora motio impediatur, atque adeò in contrariũ& ad exteriora retrahatur. aliàs enim febres vix dissoluuntur,& ad consistẽdi tempus tardissimè perueniũt, fluxionésque multiplicãtur. Finita accessione somnus non improbatur. Exercitia & omnes vehemẽtiores motiones cauendæ,ne cũ Hero-

Potus.

In accessione nõ dormiendum.

dico, cuius Hippocrates meminit, ægrotãtes interimamus. Animi perturbatiões, ira potissimum, timor, mœstitia, & similes, fugiendę. Non solùm verò prędicta victus ratione, sed medicamentis etiã refrigerare & humectare cõuenit. Quapropter hęc aut cõsimilis potio haurienda erit, quę ℞ florũ violarũ, boraginis, rosarũ añ M I. florũ nymphęę M s. intybi hortẽsis vtriusq; (endiuiam & scariolã hodie vocãt) lactucę vtriusque añ M I s. passularum purgatarum ℥ i. prunorũ damascenorum numero xi. seminum intyborũ, lactucæ, portulacę, cucurbitę añ ʒ iii. radicũ cichorii ʒ vi. Decoquantur singula in duabus libris aquę fontanæ, donec tertia pars cõsumpta fuerit. dein colẽtur, & colatus humor saccharo dulcescat, & cũ oui candido clarificetur, atq; adiiciantur syrupi de intybo domestico latifolio, zulapii violacei añ ℥ ii s. fiátq; potio. Aut si potio ægrotanti displicet, detur hoc eclegma, quod ℞ conserue violarũ, boraginis, rosarũ, nymphęæ, cichorii añ ℥ s. diaprunorum non solutorũ ʒ vii. diarhodôn abbatis ℥ i. specierum diatria santalorũ ʒ ii. cum zulapio violaceo quod satis est, fiat eclegma. Non negligenda prętereà biliosi humoris, si res ita exigat, vacuatio: sed eum sanè qui ad stomachũ cõfluit, per vomitũ educere oportet. Qua verò ratione sit ciendus, in superiorib. libris est annotatum. Eũ autem qui ad inferiora repit,

Decoctũ alterans.

Eclegma.

Euacuatio.

alui deiectionibus elicere oportet: hoc quidem & spõte fieri solet in tertiana exquisita. Aluus itaq; mollientibus clysteribus exinaniẽda est: qualis est qui ℞ maluæ vtriusque, herbę violarum, mercurialis, intybi domestici, angusti folii, hoc est scariolæ, añ M i. seminum portulacæ, melonũ añ ʒ ii s. Decoquantur in aqua iustę quãtitatis, quoad tertia pars absumpta fuerit. Colaturę adiiciatur casię fistularis recens extractę ℥ i. olei violacei ℥ iii. salis cõmunis ʒ i s. misce, fiat clyster. Per vrinam quoq; & sudores diuertere oportet. vrina igitur potionibus, in quibus apium aut anethum maduerunt, prouocãda. Et si coctionis notæ apparebunt, iam tutò absinthiũ dabis: quòd alioquin summum est ventriculi remedium, vbi bilis hunc infestauerit, si pręsertim ex ipsius coma quantũ sufficiat accipiẽs, melicrato intinxeris. Sudorem verò hoc vel consimili medicamẽto euocabis, quod ℞ radicũ apii, asparagi, cichorii, añ ℥ s. seminum oreoselini, fœniculi, rusci, smyrnii añ ʒ ii. cicerũ nigrorũ ʒ iii. anethi M. s. Decoquantur singula in aqua fontana iustę magnitudinis, colẽtur subinde, & colatus humor saccharo dulcescat, & adiiciantur oxymelitis compositi ℥ ii. & fiat potio. Aut singula iam dicta redacta in puluerẽ exhibeantur, qualibet vice ʒ i. aut ʒ i s. cum oxymelitis ℥ iii. Idipsum verò in declinatione accessionis, aut die qua æ-

Clyster.

Absynthium.

Sudorem prouocans.

ger à febre liber eſt, faciendum erit. In hunc vſum proderit inunctio ex oleo chamæmelino & anethino, ac ſimilibus. Balnea quoque calida ex aqua potabili proſunt, tũ quia aliquid bilis educũt, tum etiam quia ſua qualitate plurimùm iuuant. Nã huiuſcemodi balnea humectant, & potentia refrigerant. Marinæ autem aquæ, & ſalſæ, nitroſæ, aquæ ſulphureæ, plus quidem bilis educunt: ſed multò minus, quàm potabiles, proſunt. Præſtat verò neque ipſas vtiles dicere, quandoquidẽ plus qualitate nocent, quàm euacuationibus iuuent. Semper autem oportet contrarias qualitates illis quæ præter naturam inualuerunt opponere: quum hoc multo plus iuuet, quàm quomodolibet euacuare. Hæc igitur in balneis intentio ſit, vt corpus madeat & humectetur atque idcirco neque nitrum, neque ſalem, neque ſinapim inſpergere oportet at plurimum oleo calido perfuſos ægros ad aquam perducere, ac madefacere. Et ſi in ea natare voluerint, quandiu potuerint permittendum. Atqui balneis admodum delectantur, ſi etiam bis in die lauari permiſeris, non aberrabis, vt Galenus perſpicue libro 1. ad Glaucon cap. 9. docet. Verùm illud ſemper in memoria habeto, vt id in tempore faciãt. Si verò ſigna iam coctionis oſtendantur, tũc etiam ſi ſæpius laueris, nihil deliqueris.

Balneum

Cõtrariæ qualitates illis quæ præter naturã opponendæ.

DE TERTIANA NOTHA. CAP. VII.

Causa Tertiana notha fit, quando bilis maxima
Signa. ex parte pituitę miscetur. Hinc est quòd non singula signa, vt in exquisita, puræ bilis naturam præ se ferãt. In ea etiã accessionis tẽpus duodecim horas excedit: neq; etiã, vt exquisita, septenis circuitibus iudicatur. Tardiùs denique in hac ipsa spuria tertiana coctiõis notæ apparent, neq; tantus etiam in vigore calor. Accedit ꝙ non finiatur, vt exquisita, sudoris copiâ.
Victus. Victus ratio nõ sit in vniuersum in hac febre, quæ refrigeret atque humectet: sed aliquid quoque assumat quòd calefaciat & incîdat. præiacet enim crassior, neque adeò calida bilis. Plurimũ igitur ea laborantes iuuat ptisanæ cremor, adiecto piperis modico, vel hyssopi, vel origani. Sorbitiones etiam concoctu faciles dandæ sunt. Porrò cum accessionis tempus longius sit, atque adeò integrum diem duret, non sanè quotidie, sed alternis tantùm diebus cibum exhibere oportet. hac enim ratione ne morbus augeatur cauebimus. Verùm curandum etiam vnicè, ne ægrotantis vires, quæ longiori tempore debent laborare, prosternantur. Quapropter difficile admodum est seruare vtrũque, quoniam inediæ quantum prosunt ad morbi coctionem, tantum vel plus officiunt viribus: cibi verò quantum ægroti robur adaugent, tãtum coctiones impediunt. Quare in-

edia quidem, vbi valentiores fuerint vires, & morbus concoctu difficilis fuerit, vtendũ. largiori verò cibo, vbi vires sint imbecilliores, neq; morbus concoctu contumax. Potus sit decoctnm cinamomi, aut hordei, in quod (vt dictũ est) aliquid hyssopi aut origani iniectum sit. Quies etiam conducit. Quod ad curandi rationem attinet, si sanguinem mittere opus est, neque hoc omittendum, sed ab initio statim adhibita ętatis, temporis, regionis, habitus corporis, & similium distinctione: tantumq; sanguinis detrahendum, quantum pręsens exigit status. Clysteres quoque non admodum molles iuuant, qualis est qui ℞ maluæ, mercurialis, foliorum violarũ, origani, hyssopi añ M I. cartami p. ii. coquantur singula in aqua iustæ quantitatis. Colaturæ adiiciantur benedictæ laxatiuæ vocatæ, hieræ picræ añ ℨ iii. mellis rosacei ℨ vi. oleorum violacei, chamæmelini añ ℥ i s. salis cõmunis ℨ ii. fiat clyster. Cęterùm danda etiam decocta, quibus ea insunt quæ citra plurimã calefactionẽ & exiccationem incidere & vrinam ciere possunt. cuiusmodi est id, quod ℞ radicum apii, fœniculi, cichorii añ ℥ i. intybi domestici vtriusque, origani, hyssopi añ M I. lactucæ M i s. seminum quatuor frigidorum communium añ ℨ i. seminum fœniculi, apii añ ℨ i s. Decoquãtur in aquæ lib. 2. donec tertia pars absumpta fuerit. Colatus humor dul

Curatio.

Venæ sectio.

Clyster.

Decoctũ.

cescat saccharo sufficiēti, & oui albuminib⁹ purificetur, ac subinde adiiciatur syrupi acetosi simplicis, mellis rosacei colati, oxymelitis simplicis añ ℥ i s. & fiat potio. Posthæc ea quæ vētrem placidè subducunt sunt exhibenda, vt dilutum rhabarbari, eclegma de psilio, indi appellatum: & alia eiusmodi, quæ bilē cum pituita educere possunt, qualia multa in superioribus libris sunt annotata. Post septimum diem iugiter decoctū comæ absynthii dandum est. Multos quoque iuuit oxymeli se solo potum. Vomitus autem à cibo adeò iis quibus hæc febris perdurauerit vtilis est, vt multi, Galeno libro I, Methodi medendi ad Glauconem teste, hoc vno pręsidio statim fuerint curati. Hypochondria quoq; calidis fouēda sunt medicamētis, vt scilicet flatus, qui ea distendunt, discutiantur. Cōuenit verò hoc potissimum fomentū, quod ℞ florum chamęmeli, meliloti, anethi M I. absynthii M s. rosarum rub. p. I. seminum fœnigręci, lini añ ʒ iii. Bulliant singula in aqua sufficiēti, donec tertia pars cōsumatur. Dein spōgia in hac madefacta, hypochondria foueantur. Poterit etiam ventriculus hoc aut simili vnguēto inūgi, quod ℞ olei mastichini, rosacei, chamæmelini añ ʒ iii. Pulueris gariophyllorum ʒ i s. ceræ quantum satis est, fiat vnguētū. Cæterùm in tertianis non exquisitis, neque statim circa initia balneare expe-

Purgatio

Vomitus

Fomentū

Vnguentum.

Balneum

dit, ſed quum primum notæ coctionis appa ruerint.

DE QVARTANA. CAP. VIII.

Alterum genus febrium intermittẽtium eſt exquiſita quartana, quæ ex ſolo atræbilis humore putreſcente generatur. Hæc quidẽ non primo ſtatim die cum rigore inuadit vehemẽti, ſed talis eſt qualis iis qui vehemẽti gelu frigeſcũt. Progrediente autẽ ipſa atq; aucta, vnà etiam rigor augetur, inualeſcitq; quotidie vſq; ad totius morbi incrementum, ſenſúsq; eius non pũgentis ſtimulantíſve cutem, ſicut in tertiana, ſed vehementem algorem inducentis, & tanquã oſſa frangentis eſt. Pulſus ĩ ea ſatis tardi ſunt ac rari, caloris motus, incrementum & vigor tertianis febribus contraria ſunt. In ea enim humor paulatim veluti lapis aliquis, aut teſta, aut os, aut tale aliquod huiuſcemodi corpus frigidũ & ſiccum ſuccenditur. Vbi verò aliqua ex eo flamma fuerit accenſa, nihil fumidum, aut à ſe incombuſtũ in acceſſione relinquit. Atque idcirco in hoc humore longiores ſunt ceſſationes, quam in pituita, atque intermiſſio exquiſitè pura videtur: quoniam hic quicquid atræ bilis fuerit accenſum, exhauritur, atque diſpergitur. Bilis prætereà flauæ vomitus quartanam non comitatur. vrinæ, tan-

Cauſa.
Signa.

quàm per craſſiorē materiam excolatæ, ſunt tenues, albæ, & aquoſæ. Adhæc in autumno potiſſimum incipit, erraticis ſuperueniens febribus. Cæterùm inſpicienda & laborantis natura ſeu temperamentum, victus ratio quæ anteceſſit, regio, ætas, & alia eiuſmodi. Si eñ frigida & ſicca fuerint, tunc certius quartanam futuram ſperabimus, potiſſimum vbi eo tempore quartanę febres populariter vagabuntur. Porrò quòd ad curandi rationem attinet, quartana laborātes initio moderatè & leniter tractandi ſunt, neque vllo forti medicamento, aut euacuatione irritandi: niſi fortè ſanguis vehementer exuperare videatur. tū enim ſanguis auferēdus. Et ſi venâ inciſâ, defluēs ſāguis niger ac craſſior fuerit, audaciùs mittendus eſt. Quòd ſi verò flauus aut tenuis apparuerit, ſtatim ſupprimēdus. Venā verò ſecare oportet lienarem vocatam, aut quę eſt in ſiniſtro cubito, mediam. victum inſtituere conuenit optimum, eum nimirum qui minimè flatuoſus ſit. A ſuillis itaque carnibus arcendi ſunt ęgri, atq; ab omnibus eduliis quę viſcida ac tenacia ſunt, & tardum habēt exitum, atq; ab omnibus quę refrigerāt & exiccant corpus. vtendum vero eſt volatilibus montanis, quæ boni ſucci ſunt, & non in paludibus degūt. piſcibus etiam qui molli carne tenacitate carente præditi ſunt. Salſa etiā & ſinapi in cibo, vt incidantur & extenuen

Curatio.

Venæ ſectio.

Victus ratio.

tur humores, adhibenda sunt. Vino vtendum est albo ac tenui, & mediocriter calido. A frictionibus autem & deambulationibus, & aliis hominum consuetis studiis non sunt penitus prohibēdi. A balneis tamen si possunt, omnino abstineāt, frictionibus dūtaxat adhibitis. Et si breuis, nec admodum violenta quartanę accessio fuerit, nihil nocebit si diebus inter accessionē mediis ad consueta exercitia se transferant. Cæterùm clysteribus quoque vtendum, à principio quidem mollibus, postmodū verò acrioribus. Molles ex præcedēte capitē petes. paulo acrior hic est, qui ℞ maluę, chamæmeli, mercurialis, foliorum violarum ań M ϶ i. folliculorum senæ, polypodii ań ʒ v. hæmionitidis M i s. Decoquantur in aqua iustæ quantitatis. Colati humoris accipe ℔ i. & adiice casiæ fistularis ℥ i. eclegmatis diasenæ ℥ s. olei communis ℥ iii. mellis rosacei ℥ s. salis gemmæ nominati ʒ i. fiat clyster certis etiam diebus dandum medicamen quod diatriôn pipereôn vocatur. Imò recte fecerint ægrotātes, si quotidie piper cū aqua biberint, Galeno lib. I. ad Glauconem autore. Hæc quidem in principio & augmento potissimum sunt facienda. si verò in vigore morbi ægrotus esse videatur, tunc tenuiorem victus rationem adhibere conuenit, quàm antè vel posteà. statim verò præcipiendum, vt in longum tempus quiescat, ac

Clyster.

visceribus prouidendũ vnguẽdo, illinẽdoq; his quæ mollire ac laxare possũt: qualia sunt quæ ex farina hordeacea, semine apii, iride, cumino, ruta, & iis similibus cõponũtur. inter cętera verò hypochondrium sinistrũ hoc vnguẽto erit vnguendũ, quod ℞ olei de capparibus ℥ iii. oleorum irini, amygdalarũ dulcium añ ℥ ii. Seminis apii, cumini, radicis iridis añ ℈ i, ceræ quod satis est, fiat vnguentũ.

vnguẽtũ

Post hæc vtendum medicamentis quæ ciendi vrinã vim obtinent. in quem sanè vsum mulsa propinanda, in qua anethum, aut ruta, aut apium decoctũ sit. Mox si coctionis notę apparuerint, purgandum medicamentis, quæ atram bilem euacuant: idq; non semel tantũ, sed sæpius, si fuerit necessarium. Qualib⁹ autem medicamẽtis purgantibus vtendum sit, libro primo in cap. de Melancholia expositũ est. Laudat tamen præter alia Aëtius, vinum dulce infusum in colocynthidis cauitatem, sic tamen vt illi admisceatur quidpiam apii, aut dauci, iucunditatis gratiâ. Vtendũ quoq; vomitu à cibo. Et si nihil prohibuerit, elleborus albus est exhibendus, primum quidem permixtus raphanis: vt in superioribus ostẽsum est libris. qđ si nihil fecerit, ellebor⁹ ipse. Quòd si quispiã ab elleboro abhorruerit, hoc aut simili vti poterit, quod ℞ succi raphani ℥ iiii. oxymelitis simplicis ℥ ii. misce, ac tepidũ bibendũ exhibe. Qui verò nequeũt

vrinam cientia.

vomitus.

euomere, hi per inferiora purgãdi. A purgatione dandũ medicamentum è viperis, quod theriacam vocant: aut illi facultate simile. Quicũq; inter morbi initia, aut omnino ante vigorẽ, aliquod ex iis medicamẽ exhibẽt, Theriaca.
quartanam quæ simplex erat, sæpius duplicẽ faciunt, aut omnino maiorẽ difficilioréque. Ex duplici autem triplicem, vel prorsus ambas maiores difficilioresque reddunt.

DE QVOTIDIANA. CAP. IX.

Quotidiana febris intermittẽs ex pituitæ putredine, per sentiẽtes corporis partes à natura detrusa, ortum habet. Causa. Dicitur amphimerina Græcis, quod amborum diei scilicet & noctis particeps sit. singulis enim diebus accessiones facit, quæ ad infebricitationem ac integritatem non desinunt, occupántq; ferè decem & octo horarũ spatium. His verò potissimum signis dignoscitur. Signa. Haudquaquam cũ rigore primo statim die inuadit, sed progressu temporis refrigeratio potius quàm rigor occupat. Pulsus, quum primum accessio fit, inordinatus est, & inæqualis, tardus, paruus ac debilis. Neque verò in augmento motus velocitas, magnitudo, atque vehementia quotidianis adsunt. calor non tam acris ac vehemens, vt in tertiana: neque enim adurit ægros, neq; multũ & crebrò spirare cõpellit, ac veluti flãmã ex ore efflare, vel frigidã ex-

petere: ſed humidus ac fumoſus cum multo vapore commixtus. AEgrè quoque accenditur, ac longum conſumit tempus, dum inualeſcendo peruenit ad ſummum. Minimè denique qui ſic febricitāt, ſitiūt: quòd non dūtaxat lingua, imò totum corpus in hac febre humidiſsimum ſit. Vrinæ in quotidianis vel albæ, tenues, & aquoſæ: vel craſſæ, aut turbulentæ. Nullus omnino ſudor in primis dieb⁹ erumpit, neq; vnquã exacta febriendi quies attingitur. Vomitus etiam pituitoſi iis accidunt: & quæ per aluum excernuntur, frigidiora & humidiora, crudiora, aquoſiora, & pituitoſiora ſunt. Vniuerſum quoque corpus in hiſce febribus plenum crudis humoribus inuenitur. Cæterum quotidiana febris humidas pituitoſásve naturas maximè infeſtat. Hyemis quoque tẽpore, humida & frigida conſtitutione, ſenili ætate, & puerili, his denique qui ocio plurimo dediti ſunt, crapulis, ebrietatibus, balneis aſsiduis, poſt cibũ præſertim vtuntur, quotidiana febris facilè accidit. Quæ ſingula indicia Galenus fuſiùs lib. 1. ad Glauconem cap. 7. & lib. 2. de Diff. feb. cap. 4. atq; lib. 2. de Criſib⁹ cap. 5. proſequitur.

Victus ratio. Victus ratio in hac febre in vniuerſum ſit inciſoria, ideóq; ad ea capita recurrendũ erit, in quibus qualis ſit iſta victus ſpecies, à nobis in ſuperioribus libris ſæpe traditũ eſt. Primis quidẽ diebus aluus clyſteribus mol-

liẽtibus eluẽda est. Dein oxymelite vtẽdũ & aliis quæ vrinã elicere possunt. Cõueniũt igitur decocta ex radice apii, oreoselini, iridis, fœniculi, & similibus antea sępissime cõmemoratis, cũ syrupis acido cõposito melle rosaceo, de duab⁹ radicib⁹, & aliis quib⁹ incidẽdi & extenuãdi facultas inest. Circa statũ verò de vẽtriculo est habẽda solicitudo, pręsertim de eius ore. Quare ante cibũ hoc vẽdũ vnguẽto, quod ℞ oleorũ mastichini, absinthini nardini añ ℥ ii s. mastiches, gariophyllorum, ligni aloës añ ℈ s. cinamomi ℈ i. cũ cera quod satis est: fiat vnguentũ, quo vẽtriculus inũgatur. Deinceps iubẽdũ est, vt ęgri à raphano & cibis assumptis vomãt. His etiã vtendũ medicamẽtis, q̃ pituitã subducũt: qualia multa in præcedentibus libris cõmemorauimus. Hæc pro curatiõe febris quotidianæ, quæ rarò ad modum accidit, sufficiãt. Nam quæ hic desiderãtur, in præcedentibus abũdè docuimus. Vnguen- Vomitus

DE HECTICA FEBRE. CAP. X.

Hectica febris appellatur, quando calor præter naturam nõ solum in spiritibus & humoribus, sed iam in partibus etiã solidis cõsistit. Hectica verò dicitur, vel quòd firma ac fixa sit, ac difficulter soluatur, quemadmodũ habitus: vel quoniam habitũ corporis cõprehendat. Sic enim vocare cõsueuerunt, solidas partes humidis distinguentes. Hecticæ autẽ febres duplici modo generantur, primũ ma- Hectica quid. Hectica cur dicta Habitus corporis. Causa.

gna quidem ex parte ex ardẽtibus febribus, quæ tantum protrahuntur, vt longitudine tẽporis humorem in corpore cordis cõtentum absumant: vel fieri potest, vt eius adhuc magna portio reseruetur. Illæ verò non tantùm hecticæ sunt, sed etiã μαρασμώδεις, hoc est, tabidæ. Quæ autem manente adhuc humiditate generantur, vbi corpus cordis occupauerint, hinc maxime accẽduntur, haud secùs q̃ lucernæ flãma ex ellychnio. Atque hæc vna quidem febriũ hecticarũ generatio. reliqua est quum statim inuaserint, similem primũ sui ortũ diariis facientes, aut ex mœrore, aut ira, aut lassitudine nimia, vnà cũ solis feruore natæ. Hasce igitur febres non est admodũ difficile curare. At quę ex ipsis in tabem marcorémve, qui Græcis dicitur Marasm⁹, ex inscitia medicorũ peruenerunt, vbi iam exquisitè cõsistunt, & non adhuc incipiũt, has non modò curare difficile, imò etiam impossibile. Earũ enim natura calida & sicca est, vt tale aliquid patiatur cor, quale lucernæ funiculus, quũ plurimum perustus fuerit. Nã qui ita torrefactus est, frangitur & dissoluitur, atque ex ariditate cõtinuitatẽ amittit, adeò vt etiã si copiosum oleum superinfundas, flãma abundantior nõ possit accẽdi. semper enim parua & imbecilla ĩ ipsa palpitat, ac cõtinuè fit minor, donec ex toto extinguatur. Talis quidẽ est febris, quæ omnino μαρασμώδης, hoc est tabida existit. Hectica verò, q̃ in ma-

μαρασμός.

rasmũ incidit, cognitu promptissima atq; facillima existit. Nã priusquã pulsum atq; calorem tactu perpẽdas, videbis oculos immodice concauos, veluti quibusdã quasi scrobibus recõditos, exhausta iam vniuersa in ipsis humida substãtia, ita vt ossium quib⁹ palpebrę cohærẽt eminẽtię conspiciãtur. sordes quidẽ in ipsis aridæ apparẽt, & quidã squalidus affect⁹, qualis maximè ĩest his qui toto die sub solis ardore iter longũ per puluerem fecerũt. Flos etiã ille vitalis periit, cutisq; in frõte arida distẽsaque est. Palpebræ frequenter veluti somnolentæ conueniunt, verùm passio eorũ somnus nõ est, sed potius vigilandi impotentia. Cõtabuere quoque carnes quæ in tẽporibus sunt, vt collapsa videantur, & cõcaua loca. Quid enim aliud præter ossa & cutem solam habent? nam si denudatũ ventrem inspexeris, neq; intestinũ, neq; visc⁹ vllũ superesse tibi videbitur. Hypocondria sursum ad thoracẽ conuelluntur. Quod si eos tãgere libeat, cutis quidẽ apprimè arida est: quã si digitis apprehendens extenderis, instar corii cuiusdam consistit. Pulsus tenuis, durus, debilis, & frequẽs. Caliditas quũ primùm man⁹ admouetur debilis est, paulò pòst acris & rodens erũpit: & magis, quũ amplius tangendo immoraberis. Maxima quoque erit hæc & minime anceps nota: adhibito cibo calor incẽditur, pulsúsq; magnitudine ac velocitate intẽ.

signa.

ditur. Tádiu auté hectica febris dicetur, quã diu natiua humiditas reſeruať. vbi verò ambigitur, ne nihil amplius humoris ſuperſit, abſoluta iam tabes eſt. Hecticas verò febres priuſquam ad tabem deueniãt, omni conatu refrigeramus. Sũma itaq; curationis in refrigerando ac humectando collocatur, tam his quæ extra admouẽtur, quàm iis quæ intra ſumũtur. Aër igitur inſpiratus frigidus ſit & humidus. Etſi natura talis nõ ſit, arte paretur, vt dictũ eſt ſuprà cap. 6. de curatione tertianæ. Cibis vtẽdum iiſdem viribus præditis: ptiſanæ nimirum cremore, pane modico in aqua frigida macerato: carnibus hœdi, phaſianorum, volucrium montanarum, teſticulis gallorum, carnibus caponum, ouis ſorbilib9, caſeo recẽti ſalis experte. piſcib9 petroſis lactuca, intybis, cucurbita, ſpanachia, malua, & ſimilibus. Ceraſis, prunis, malis punicis, melonibus, ficubus, & eiuſmodi lac etiam mirifice iis prodeſt, modo alia febris ab humorũ putredine orta non cõplicetur. Quę verò ad huius exquiſitam exhibitioné ſunt neceſſaria, vt alia multa huic inſtituto cõuenientia, tradit Galenus lib. 7. The. meth. Potus ſit aqua frigida moderatè ſumpta, aut decoctũ cinamomi, aut vinum aquoſum, tenue. Cõuenit deniq; hecticis ſępius die cibũ accipere, vt nimirũ hac ratione caueant ne vna vice magnã ciborũ copiam ingerant. Motũ immodicũ, & quicqd vires reſoluere poteſt, deuitẽt. Cæte-

Curatio.

rum medicaméta purgantia illis qui hectica febre laborãt non sunt propinanda. Sed si aluus plus æquo adstricta fuerit, leuib. ac alterãtib. clysteribus, adiecta casia fistulari, hanc abluere oportet. Intra corp⁹ exhibéda medicaméta refrigerãtia ac humectãtia: qualia inter cõposita hodie vsitata sunt, syrupi violaceus, de nymphæa, de intybo domestico, acetosus, & similes. Itẽ cõfectiones diarrhodôn abbatis, diatragacãthę frigidę diapapaueris, similésq;. Ex simplicibus succi lactucæ, portulacę, intybi & papaueris. Inter ea verò q̃ extrisecùs admouẽtur, balnea huic morbo obnoxiis quouis tẽpore idonea sũt. balnea quidẽ aquarũ dulcium, ad quæ sanè ægrotus in lectulo, aut sindone deportetur. Aquã verò tẽperatißimã esse oportet: in qua etiam moderatè cõmorãdũ, ne scilicet quippiã è propria humiditate hauriatur. tantũ abest vt in ea sudare debeat. Sunt qui in aqua decoquendas herbas aliquot esse putent: violas nẽpè, maluas, lactucas, flores nymphææ, & iis similes. Nõnulli itẽ pedes vitulinos, & capita agnina, quoad ossa carnib⁹ separẽtur. Cauendum etiã, ne perfundatur caput. Vbi itaq; satis iã in balneo cõmoratus fuerit, mox hinc eductus, in frigidã semel tot⁹ tingatur, ne vel breuißimo quidẽ spatio illic moratus. Hectica siquidẽ febricitãtes, qui ad balneũ accedunt, Galeno li. 10. The. meth. teste, nisi in frigidã

Balnea.

ſint dimiſſi, nihil iuuãtur. Protinus autẽ vbi extractus fuerit, alter paratã habens ſindonẽ ipſi iniiciat, ac deinde aliã. tũ in lectulo collocatus, primùm ſpõgiis detergeatur, deinde mollibus linteis. nec cõmittẽt qui eũ detergeſbũt, vt violẽtius eũ cõtrectẽt, ſed quoad fieri poteſt blãdiſſimè. Quid multa? eã ſanè curã, ſi fieri poteſt, omnino in balnei vſu adhibeãt, quã Galen. loco iã citato requirit. Poſt hæc quidẽ oleis frigidis, & aliis humectãdi facultate præditis inũgẽdus erit. Inter cętera verò hoc cõuenit, quod ℞ oleorũ violacei ℥ s. de cucurbita ʒ iii. butyri recẽtis ſalis experti, pinguedinis porcinę ʒ i s. miſce, fiat linimẽtũ, vt vocãt. vel adiiciãtur muſcoſitatis tragacãthæ ʒ ii, medullę cruris vitulini ʒ iii. ceræ quod ſatis eſt, & fiat vnguentũ. valet etiã oleũ nymphææ, de papauere, & roſaceũ, quod Galeno lib. 3. de ſimp. med. facul. cap. 16. arẽtia corpora mirificè humectare poteſt. Vbi vnctus fuerit, tũ veſtib⁹ amict⁹ rurſus ſuper lectulo, aut ſindone in locũ vbi cibaſ reducẽt & nutriẽt.

Linimentum.

Proderit etiã cor atq; iecur epithematis refrigerare & humectare: qualia ſunt hęc quæ ℞ aquæ ſtillatitiæ violarũ nymphæę lactucę añ ℥ iii. aceti optimi ℥ s. roſarũ rub. ſantalorũ omnium añ ʒ i. ſpecierũ diamargaritôn ʒ s. camphurę gr. iii. croci ℈ s. miſce, fiat epithema, qđ cordi adhibeatur frigidũ. Aliud quod ℞ aq̃ ſtillatitiæ, intybi domeſtici, roſarũ añ ℥ iiii.

Epithemata.

lactucæ ℥ ii. aceti ℥ i. specierũ diarhodôn abbatis ʒ i s. rasuræ eboris ʒ s. caphurę ℈ s. misce fiat epithema, quod iecori admoueatur. Conferũt hecticis etiam medicaméta quæ odore suo refrigerãt & humectãt, vt sũt flores nymphææ, caphura, violæ, rosæ, & similia. Plura etiã ad institutũ faciétia reperiet studiosus in cap. de Phthisi seu tabe. Et certè in hectices curatione vnicè studẽdũ, vt corpus nõ solùm per ea quę intra corpus sumũtur refrigerem⁹ & humectemus: verũ etiã per ea quæ extrinsecùs admouẽtur, olei potissimũ inunctionem. Quãtũ enim hoc ipsum foris adhibitum ad corporis ac viriũ cõseruationẽ cõducat, celebri Pollionis Romuli exẽplo docemur. Hũc enim centesimũ iã annũ excedentẽ, Plinio li. 22. cap. 24. teste, quũ Diuus Augustus hospes interrogaret, quánam ratione maxime vigorem illum animi corporísq; custodisset, ille respondit: Intus mulso, foris oleo. Hęc quidẽ ad rectè curandas febres sufficiunt. præclare enim officio nostro defunctos nos esse putamus, quòd methodum quàm breuissimè potuimus indicauerimus. Remedia autem parcissimè attigimus, quòd ea nullo labore medicinæ non prorsus rudes, ex superioribus libris tribus, si plura desiderãt, petere possint.

Pollio Romul⁹.

LIBRI QVARTI ET VLTIMI FINIS.

HIPPOCRATIS COI DE MEDICAMENTIS PVRGATORIIS libellus, nunquam priùs in lucem editus.

IVNIO PAVLO CRASSO INTERPRETE.

Cur medicamenta purgantia non temere exhibenda. Cap. I.

MEDICAMENTORVM PVRgantium opera non qualia censentur existunt, ab eodem enim medicamento aliqui modò purgantur, modò non purgantur. interdum & alia, quàm quæ consueuerit, educit interdum immodicè purgat, nonnunquam & quæ oportet pręstat. Quare non potest quispiam hisce fretus medicamẽtis, ea temere propinare: siquidẽ & cibi nos alentes, medicamenta existimãdi sunt: minus tamen quàm antedicta. homines nanq; hisce rectè vescentes, secunda valetudine fruuntur: minus rectè, laborant: intẽperanter, ceu sinceris à medicamẽtis euacuantur. Igitur iam patet, & cibos ipsos esse purgãtia medicaméta. minus tamen, segniúsque, quàm syncera medicamenta, cęterum his segniores, nobísque familiares, & quotidie in corpus intrantes, temerè ac negligẽter exhibiti, homines perturbant, in morbósque præcipitant: atque vt se-

mel dicam, qui incõſideratè cibos dederit, nihil commodi, nihil opis eſt allaturus.

Quæ quibus medicamenta dãda. Cap. II.

Igitur ab initio bilioſis, medicamentũ bilis purgatorium eſt propinandum: pituitoſis quod pituitã: hydropicis, quod aquam: melancholicis, quod atram bilem educat. at ſi alia ab iis purgas quæ purgare conuenit, non purgas: quæ autem non conuenit, euacuabis. quare vtrunque peccaueris.

Quæ præmittendæ interrogationes. Cap. III.

Itaque aliquẽ aut ſuprà, aut infrà purgaturus, cũ prius interrogato, num aliàs medicamentũ purgatorium acceperit? num aluus ſubducentibus medicamẽtis facilè ſoluatur, velociterque obediat: aut cõtrà, adſtricta ſit, ægréq; ſoluatur. Quòd ſi facilem eſſe aluum, lubricámque reſponderit, mollioribus minoribúſq; medicamẽtis indigebit: ſin aluus ſicca præcluſáque ſit, valentiora medicamenta poſtulat. Idem pręceptũ & in vomitoriis medicamentis obſeruãdum eſt. verum ſi neutiquam vomitoria ſubducẽtiáve medicaméta ſumpſiſſe ſe affirmauerit, tum demũ ſcire oportet, quomodo ſanitatis tempore ſe habuerit: num ſubducẽtibus facilis aluus patuerit, num vomitoriis ſtomachus libenter morem geſſerit: num à crapula quapiam in alui pro-

fluuiũ inciderit. omnia hæc ſciſcitari debes, vt recte ipſi poſsis conſulere. Fœda eſt enim calamitas, eum, cui purgatoriã medicinam dederis, interficere.

Quibus morbis, quóue tempore exhibẽdæ medicinæ purgatoriæ. Cap. IIII.

Qvicunque ſanè validis febribus corripiuntur, his vſque ad febris remiſſionem purgatoria medicaméta ne dato. ſin id nolis, ſaltem ne citra quartũdecimũ diem: calidæ enim carnes ipſorum, & vẽtres, medicamentũ retrahunt, nihílque purgatur. Tũc planè febris magis exardet, color permutatur auriginoſique fiunt. agitata nãque bile, & nõ detracta, neq; ſorbere poteſt, neque bibere: ſed auerſatur omnia, & plerũque moritur. Cæterùm ſi medicamentũ vincit, ante meridiem nulla fit purgatio, à meridie fit immoderata deiectio, atque cõmoritur. quòd ſi diem hunc ſuperſtes ſit, ſimúlque cum purgatione febris tollatur, conualeſcit. Quamobrẽ purgatoria medicamenta in magnis febribus ne ore ſumãtur, præcipimus. at ſi ipſis opus fuerit, per clyſteria iniicere, quoties volueris, expediet: id enim tutius erit. Hac itidem ratione, æſtiuo tempore poſt canis ortum quinquaginta dierum ſpacio medicinam purgantem ne propinato, ſed clyſteriis vtitor. idem nanque diſcrimen eſt.

Clyſteres.

Defensio medicinæ contra calumniatores.

Cap. V.

Dicent autem aliqui, qui medicinam calumniãtes artem esse negant, pridẽ multos non implorata medici ope ex morbis euasisse. Atqui ego istorum orationi fidem habeo, simul tamen fieri posse arbitror, vt quispiã nõ vtẽs medico, ex medicina fructũ percipiat: haud ita tamẽ, vt quid in ipsa rectum, quid non rectum sit, agnoscat. nam forte quadam ita seipsos curare possunt, ac si accitis medicis curati essent. Id verò præclarũ indiciũ est, medicinam nõ solùm artem, verumetiam eximiã esse artem: quãdoquidem & ipsam funditus tollentes, per ipsam illã seruari videantur. Illud enĩ nouisse summa est necessitas, eos qui ex languoribus ad sanitatem restituti sunt, aliquid facientes aut nõ facientes conualuisse. aut enim ieiunio, aut ciborũ copia, aut largiore potu, aut siti, aut balneis, aut ab eis abstinentia, aut exercitationibus, aut ocio, aut somno, aut vigilia, aut omnibus his confusẽ vtẽtes, incolumes euasere. Atqui & ex auxilii perceptione infuisse auxiliãs, eos cognoscere necesse est: cõtrà ex noxa accepta, rẽ nocentẽ affuisse. nã quę iuuandi, quæ lædẽdi ingenio prædita sint, non cuiusq; est dinoscere. Itaq; si quid in ratiõe victus, per quã sanat⁹ fuerit

Medicina eximia ars.

æger, laudare aut vitio dare cognouerit, omnia hæc medicinæ esse comperiet. Et mehercule offensiones non deterius, quàm adiumenta, artem hanc esse testantur. iuuantia siquidem, recte administrata iuuerunt: nocentia imperitè adhibita nocuerunt. At vbi rectum, non rectumque, vtrunque modum habent, quomodo id artẽ esse negandum est? Illud nanque ego arte carere existimo, in quo nihil rectum est, neque non rectum: vbi autem vtrunque inest, quomodo id non artis opus, sed artis imperitiæ putandum est?

HIPPOCRATIS DE MEDICAMENTIS PVRGATORIIS FINIS.

RERVM HOC IN LIBRO MEMORABILIVM PER CAPITA ET PAGINAS INDEX.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI. DE MEDENDIS FEBRIBVS.

FINIS.

